BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 P
17
14-11-K-10

SIMPLICII
PHILOSOPHI GRAVISSIMI
COMMENTARIVS
IN
ENCHIRIDION EPICTETI
PHILOSOPHI STOICI,

Quo vniuersa hominum vita instituitur, & Libertatis recuperandę via monstratur.

Angelo Caninio Anglariensi interprete.

Nunc primùm in lucem accuratè editus.



Blaij. Knardij.

Ne quis hunc usquam alius suæ ditionis locorum impune librum imprimat, aliàue impressum uendat, & Pontificis Maximi, & Veneti Senatus Illustrißimi Decreto cautum est.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS
Apud Hieronymum Scotum.
M. D XLVI.

ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO

IOHANNI CASAE ARCHIEPISCOPO

Beneuentano, Summi Pontificis apud Venetos Legato amplißimo,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Angelus Caninius Anglariensis

S. P. D.

CVM quælibet philosophiæ pars, Legate amplißime, magna & admiranda vitæ hominum adiumenta, atque ornamenta afferat, nulla tamen, uirorum doctissimorum iudicio, æquè id præstat, atq; ea, quæ de moribus humanisq; actionibus agit ac præcipit. Nam quid profuerit Naturę penetralia peruestigasse, quid terræ cœliq; adyta perlustrasse, causasq; rerum omnium eruisse, ac penè innumerato habere, si vita fœdis vitiorum maculis infecta & labefactata, si impuri mores, & flagitiorum omnium conscij fuerint? Quare non immeritò sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus est Socrates, quòd philosophiam de cœlo in vrbium conuentus, & priuatas domos deduxerit, hoc est ab inanibus & ambitiosis potius quàm vtilibus inquisitionibus ad humanarum rerum curam reuocauerit. Quibus de rebus multi diligenter & copiosè scripserunt, & vt alios præteream, Aristoteles omnium accuratissime: verùm haud scio an vllus vnquàm aptius ac felicius vno Epicteto, qui hanc partium optimè executus est, nec verbis modò, quod plerique omnes faciunt, sed vita quoque sua, nobis bene viuendi, id est vt Natura parens præstantissima iubet, viam ostendit ac patefecit. Tam rectè etiam & commodè de humanis, tam verè ac piè de diuinis locutus est, vt neminem ad Christianæ religionis certissimam veritatem magis credam accessisse. Huius viri Enchiridion (sic enim inscribitur) Angelus Politianus homo eruditissimus olim in Latinam linguam conuerterat, quàquàm fidelis codicis copia, vt ipse quoque testatur, destitutus. Multa itaque partim sua, partim de Simplicij commentario sumpta, adiecerat, pleraque reliquerat. Nos itaq; mensibus superioribus Simplicium, qui doctissimè Epictetum interpretatus est, in latinum vertimus: loca, quæ a Politiano prætermissa fuerant, reposuimus: quæ adiecerat, detraximus: & quæ de Simplicio mutuatus fuerat, suis locis restituimus, idq; emendati exemplaris fide adiuti effecimus. Quem nos tibi Legate dignissime, cum tuo in bonarum literarum, & philosophiæ studia mirificum amorem, tum morum tuorum probitate atq; integritate adducti, optimè conuenire existimauimus. Ac quanuis nec mea, nec aliorum interpretatione opus habeas, qui alijs interpretari posses, tamen vt reliquis per te huius aurei libelli copia fiat, eum tuis auspicijs in publicum edere voluimus. Quid enim honestius, quàm res pulcherrimas & sanctissimas, honestissimi atq; integerrimi viri patrocinio fulciri? Sed tua virtus nec aliorum præconio indiget, cum sua claritate apud omneis præfulgeat: nec si indigeret, ea est ingenij mei vis, vt tam altè erigi, & tuarum laudum fastigium attingere possit. Accipe itaque hilari vultu, Legate clarissime, id muneris, quod tibi meæ vires elaborare valuerunt, meq; in clientium tuorum numero reponere ne dedigneris. Vale Μουσηγέτα.

INDEX OMNIVM CAPITVM,

Quæ in Simplicij commentario comprehenduntur.

Errata,quæ Library incuria irrepſerunt.

Pag.1.Ver,14.cum,lege tum

Pag.2.Ver.26.*fibi,lege ipſi.*

Pag.3.Ver.21.*conatur noſter,lege conatus.*

Pag.13.*initio,reſtitue hæc,*

Externis non incumbendum, Cap.9.

Pag.43.Ver.45.*etiam,lege etiam*

Pa.58.*poſt uer.29.repone hoc caput.Cauendū,ne nos ipſi lædamus,ut contemnendum,ne nos alij.*

Pag.80.Ver.44.*equorum,lege equitum*

Pag.99.Ver.7. *Sequar libēs,nam & inuitus t̄n ſequar, lege, Sequar libens,uel improbus cogar ſequi.*

EPICTETI PHILOSOPHI STOICI ENCHIRIDION, ET SIMPLICII In ipsum commentarius.

Angelo Caninio Anglariensi interprete.

PRAEFATIO

De uita Epicteti eiusq; obitu scripsit Arianus, qui super Epicteti studiis ac conuersationibus permagna uolumina composuit. Ab ipso igitur petendum est, qua ratione uitam suam is uir instituerit, atque egerit. Porrò hunc libellum, qui Epicteti Enchiridion inscriptus est, ipse itidem Arianus collegit, in ordinemq; digessit, cum ea ex Epicteti disputationibus excerpsisset, quæ appositissima & ualdè in philosophia necessaria, & ad mouendos animos potētissima essent. Quod uel ipse Arianus in epistola ad Massalenum attestatus est, cui etiam uolumen nuncupauit, tum quòd ipsi amicissimus erat, cum quòd Epictetum mirum in modum suspiciebat, ac uenerabatur. Eadem uerò iisdemq; uerbis sparsim in Ariani libris, quos de studiis Epicteti edidit, reperiunt. Scopus libri est (si modo dicto audientes nactus fuerit, quiq; non solùm auribus excipiant, sed afficiantur orationibus, easq; actione confirment) liberum reddere animum nostrum, qualem ipsum etiam qui creauit & genuit Opifex ac pater, produxit: ut neq; quicquam timeat, nulla re doleat, nullius deterioris imperium ferat. Enchiridion uerò inscriptus est, propterea quòd continuè in manibus eorum uersari debeat, qui bene uiuere cupiant. Enchiridion quippe militare, pugiūculus est, qui prōptus semper ac paratus utentibus esse debet. Valdè uerò mouēt atq; incitant, harū orationum aculei, ut nisi quis penitus stupidus ac penè mortuus fuerit, pungatur ab ipsis, suosq; affectus agnoscat, ad eorumq; emendationem excitetur, hic tamen magis, ille minus. Quòd si quis nihil his sermonibus moueatur, à solis inferorum iudiciis corrigi potuerit. Instituit autē hominem, ceu ex animo rationali formatum, quiq; corpore uelut instrumento utatur. Aut certè idcirco & ducere uxorem, & liberos suscipere, aliisq;, quæ in uita eligenda sunt, frui permittit. Verùm ubique uim rationalem à seruitute immunem uult conseruare, tum corporis, tum aliorum affectuum, ut ad suum propriumq; bonum, illorumq; iudicationē respiciat. Ex iis uerò, quæ bona externa uidentur, quæcunque cum uero bono consentire possunt, iis modicè frui permittit: Quæ autem illi incongrua sunt, auersari omnino suadet monetq;. Id porrò in his sermonibus admiratione dignum uideri alicui possit, q eos, qui parent, & dicta actione exequuntur, beatos reddunt, ac felices, ut nihil pollicitationibus illis opus habeant, quibus pmia uirtuti post mortem constituta eē dicuntur, etsi prorsus ipsa quoq; accedant. Qui enim corpore tanquam organo utitur, & affectibus ratione carentibus, is prorsus substantiam ab ipsis separabilem obtinet, & quæ post illorum abolitionē ac interitum perduret: perfectionē itidem, ut liquet, ipsi substantiæ similē & parē retinet. Quinetiā si quis animū mortalē eē, & unà cum corpore perire supponat, is tamē, qui iuxta hæc præcepta uiuat, suam perfectionem recipiens, proprioq; bono fruens, felix planè est ac beatus. Corpus quippe humanū, licet mortale ac caducū sit, si naturalē suam perfectionē receperit, pprīū bonū assequutū est, nullaq; re ad id opus habet. Cōcisæ uerò sunt orationes & sententiosæ, ad similitudinem eorum præceptorum, quæ ὑποθῆκαι apud Pythagoreos appellantur. Nisi quòd ordo quidam inter ipsas ferè omnes & cōsecutio est, ut in pro

greſſu cognoſcemus. Ac quãuis diſtincta capita deſcripta ſint, omnia tamen ad unam artẽ humanæ uitæ emendatricem ſpectant, omnesq; orationes ad unum ſcopum tendunt, ut rationalem animum excitent ad ſuæ dignitatis conſeruationem, & ad naturalem ſuarum actionum uſum. Atq; equidẽ ſermones ipſi ſatis perſpicui ſunt, atque aperti, uerùm non ab re fortaſſe fuerit ipſos pro uiribus explicare. Nam & expoſitor acriorem curam impendet in ipſos, magisq; mouebitur atq; afficietur, ueritatemq; ipſorum facilius intelliget. Studioſi prætereà harũ orõnũ inſolentes, aliquã fortaſſe facilitatem, & (ut ita dixerim) manuductionem ex eorum interpretatione cõſequentur. Id uerò in primis, quod dixi, enodandum eſt, quali nam homini hæ orationes compoſitæ ſint, & ad qualem humanæ uitæ uirtutem eum, qui obediat, ducant. Primò quidem non ad illum pertinent, qui purè ac ſyncerè uiuere poſſit: ipſe etenim pro uirili ſua à corpore fugere, à corporalibusq; affectibus ſe reuocare, & ad ſe tantùm reſpicere uult. Multò uerò minus ad contemplatiuum, nam & ipſe rationalem ſuam uitam ſupergrediens, omnino in numero meliorum uult reponi. Verũ illis congruunt, qui ex rationali quidem animo formati ſunt, ſed corpore perinde ac inſtrumento utuntur, qui neq; animi partem corpus eſſe exiſtimant, neque corporis animum, neq; etenim unà cum corpore hominem perficere, ceu ex duabus partibus conſtet, animo & corpore. Is enim eſt homo plebeius ac unus è multis, generationi inuolutus atq; immiſtus, ab eaq; occupatus ac oppreſſus, qui non magis rationalis eſt, quàm animal brutum, & qui proptereà non propriè homo dicitur. Qui autem uerè homo eſſe uult, ſuamq; nobilitatem, quam Deus præter irrationales animantes hominibus elargitus eſt, recuperare affectat, is profectò operam dat, ut animus ſuus rationalis ſic uitam agat, ut natura poſtulat, imperetq; corpori ſuperiorq; eo exiſtat, nec eeu parte coniuncta, ſed uelut inſtrumento utatur. Atque huic conueniunt morales ciuilesq; uirtutes, ad quas hi ſermones hortantur ac diriguntur. Porrò hunc eſſe uerum hominem, qui ex rationali animo formatus ſit, præcipuè quidem Socrates ille Platonis demonſtrauit cum pulchro Alcibiade Cliniæ filio diſputans, qui hac ſumpta hypotheſi docet ſibi parentes, ex quali nam uita, qualibusq; operibus is homo abſolui ac conſummari poſſit. Quemadmodũ enim corpus, ſi naturales motus intẽdat, per ipſos exercetur, robuſtiusq; ac ualidius redditur: ita etiam animus ipſe per naturales functiones, ad naturalem habitum ſuam ſubſtantiam reducit. Nihil tamẽ obſtabit ſermonum inſtituto, ſed uel neceſſarium fortaſſe eſt, ut id, quod ex ſuppoſito ab Epicteto præſumptum eſt, uerè ſcilicet hominem animum rationalem eſſe, qui corpore tãquam organo utatur, ante partialiũ rerum expoſitionem, explicemus ac ꝓdemonſtremus. Nam Epictetus actiones huic homini conuenientes ac peculiares ob oculos ponens, & cognoſcere ipſas exactè, & exequi obedientes ſibi hortatur & excitat, ut per ipſas, ut dixi, ſubſtantiam noſtram perfectam abſolutamq; reddamus. Hunc uerò propriè hominem eſſe non demonſtrat, ſed, quemadmodum dixi, pro ſuppoſito accipit. Socrates itaq; ex euidenti ſumens, hominem ſic manu ad functiones uti, ut cultro ſutorio: prætereà id quoq; addens & aſſumens, aliud ſcilicet eſſe quod utitur, aliud quo utitur ceu organum, collegit hominem id eſſe, quod corpore tanquam inſtrumẽto uteretur. Vtitur uerò corpore tanquam inſtrumento, & in artibus & in reliquis functionibus nihil profectò aliud, quàm rationalis animus, qui corpore ceu inſtrumento utitur. Dehinc rurſus ex dictis aſſumens, id quod corpore utitur, prorſus etiam illi imperare, quo utitur, per diuiſionẽ interrogat ſermonem, & inquit, Neceſſe eſt hominem ipm, uel animum eſſe, uel corpus, uel utrũq;. ſi itaq; homo corpori imperat, corpus uerò ſibi non imperat, iam liquet hominem nõ eſſe corpus. Quin ne utrunq; quidem eandem ob cauſam. ſi enim homo eſt qui corpori dominatur ac imperat, cum corpus non imperet, neque utrunq; ſimul imperare poterit. Et demum, ſi corpus ſua ſponte immobile & mortuũ eſt, animus autem eſt qui mouet: & uidemus porrò in artibus quoq; mouere quidem artificem, inſtrumenta uerò artis moueri: iam patet corpus inſtru

menti locum tenere erga animum. Ipse igitur animus est homo, & qui hominis curam habere uult, animi rationalis curam habeat, & circa peculiaria eius bona uersetur. Qui enim corpus curat, non hominem nec res nostras curat, sed instrumentum. Qui uerò cumulandis opibus cæterisq; eiusmodi operam nauat, neq; hominem curat, neque hominis instrumentum, sed res ad instrumentum attinentes.

EPICTETI PHILOSOPHI STOICI ENCHIRIDION.

Quæ in nobis sint, quæq; non, qualiáue, quæq; sint. Cap. 1.

Rerum aliæ in nobis sunt, aliæ non sunt. In nobis est opinio, conatus, appetitus, declinatio, & ut uno dicam verbo, quæcunque nostra sunt opera.

Motus animi in nobis & esse & fieri, non extrinsecus. Cap. 1.

IN nobis ea esse ait, quorum compotes sumus, quæq; in nostra potestate sunt. Id quod in aliquo esse dicimus, cum quid non ab alio habet, nec ab alio quopiam impediri aut retardari potest: cuiusmodi sunt animi motus ii, qui intus ex ipsius iudicio ac electione cientur atq; fiunt. Neque enim ullo pacto extrà moueri potest electio: quin licet res eligenda extrinsecus existat, electio tamen ipsa, & motus ad rem eligendam, intus extat: ueluti est, hanc uel illam de rebus opinionem retinere, ceu opes aut mortem, aut aliorum quippiam, bonum uel malum uel indifferens esse & medium. Atq; etiam si, cum de alio audierimus, hoc uel illo modo de re ipsa fuerimus opinati: non tamen ad docilium auium modum, quæ, conditum bibo, garriunt, cùm quid dicant prorsus ignorent, sic nos quoq; dicimus. Sentētia hæc atq; opinio noster motus est, qui nōnunquam extrinsecus excitatur ac prouocatur à doctore, non ab eo tamen inseritur in nobis atq; inditur. Similiter prætereà conatus ad rem quampiam, qui etiam ipse intus existit, quanuis id, ad quod conatur noster tendit, extrinsecus sit, & ansam nostro conatui præbeat, ipse tamē conatus intus totus est: nec uelut qui per impulsionem alterius motu cientur, extrà suum motum habent, uerùm ut ii potius, qui sua uita excitantur. Appetitus quoque eiusmodi est, cum sit animi in rem appetendam propensio: & declinatio appetitui contraria, quæ est auersio ac fuga à re declinanda.

De ordine ac serie horum motuum. Cap. 2.

PErspicuum porrò est opinionem præcedere, cum & cognitio rationi consentanea, & homine digna sit. Vbi uerò de bono aut malo nostro, quod uel sit uel esse uideatur, opinio fuerit, exoritur ꝓsus declinatio aut appetitus: sequitur conatus. appetere enim primum oportet aut auersari, tum conatum ad rem appetendam intendere: aut auersari rem declinandam, quæ appetendæ contraria est. At Stoici conatus, & conatus caussam declinationi præposuerunt: motus nanq; animi ante appetitum & declinationem spectauerunt.

Motus rationis expertes ab alio moueri, animum verò rationalem liberè intus à se ipsum moueri. Cap. 3.

VErùm appetitus à ratione alieni, hoc est ira & cupiditas, cū corporibus annexæ sint, & tanquam uitæ corporum (ut ita dicam) adeo ut ex corporum temperatura exoriri ac pullulare uideantur, ab alio plerunq; mouentur, nec sui iuris penitus, neque in appetentibus propriè sunt, quāquam intus ii quoq; moueantur. Quinetiam animus rationalis, cum seipse corporibus dediderit, irrationalibusq; ac corporalibus motibus, trahitur ac impellitur, nec amplius liberos in sua potestate motus habet. Cum uerò iuxta suam naturam & actionem agit, tunc liberè suoq; arbitratu intus à se ipse cietur, Atq; in eo id, quod in nobis est, hoc est libera agendi uoluntas, dubio procul conspicitur.

SEd ut exactius atque exquisitius intelligamus, tum quid sit liberum Arbitrium, in quibusq; rebus uersetur, & quo pacto radix sit ac principium prorsus bene ac male uiuẽdi hominibus, altius ducto exordio dicamus. Omniũ rerum fons & principiũ est ipm bonũ. Quod enim omnia expetunt, ad quod omnia tendunt, id omnium principium est & ultimum seu finis. Atq; à se ipm bonũ uniuersa deriuat ac ducit, tam prima, quàm media, & infima. Verùm prima, quæq; ei proxima sunt & coniũcta, similia sibi ꝓducit, una uidelicet bonitas multas bonitates: unaq; simplicitas & unitas, quæ supra omnes unitates est, multas unitates. Vnum item principium multa principia. in idem enim ueniunt, unum, principium, bonum, & Deus. nam Deus ipse est prima & omnium rerum caussa. At necessariũ est, ut ipsum primum, simplicissimum quoq; sit, quoniam quod compositionem quãlibet habet ac multitudinem, secundum est ab uno. & multitudo, & quæ non sunt bona, bonum expetunt, tanquam id, quod supra ipsa existat. Quod item ipsum principium non est, à principio prorsus est. Oportet prætereà uim habeat summam & uniuersam. uirium autẽ ac potentiæ ubertas hinc apparet, ꝙ cum omnia à se deriuet, similia etiam à dissimilibus producit. Quocirca unum principium multa principia & multas simplicitates, multasq; bonitates continuè à se promit. Oẽs enim res, cũ dissimilitudines inter se retineant, peculiaribusq; discriminibus multiplicatæ sint, ad unum singulæ principium referuntur, uelut pulchra omnia quotcunq; in quibuscunque sunt, tam in animis quàm in corporibus, ad unum pulchritudinis fontem reducuntur. Ita quoq; omnia moderata & uera omnia, principiaq; cuncta naturæ quodãmodo eiusdem sunt cum illo primo, quã sunt principia & fontes & bonitates cum decenti subiectione ac proportione. Quod enim est unum principium respectu oĩum rerũ, idem singula principia sunt respectu multitudinis, quæ ab illius proprietate complectitur. Neque enim fieri ullo pacto poterat quin singulæ multitudines discrimine aliquo seiunctæ ac secretæ ad propriũ principiũ referrentur, quod oĩbus unam candemq; formam infundit. omnem nãque multitudinem præcedit ipsum unum, atque omnis in multis proprietas ab uno in multa diffunditur. Omnia igitur partialia principia in uniuersali fundata sunt ac constituta, ab ipsoq; non per interualla nec multitudinis modo, sed uelut in toto atque integro partes ipsæ, & uelut in uno multitudo, & in unitate numerus. Illud enim omnia est ante omnia: & circa unum principium multa principia congregant̃. Atq; in una bonitate multæ bonitates constitutæ ac sitæ sunt. At illud nõ est principium quoddam, ut aliorum quodlibet, hoc boni, illud ueritatis, aliud mediocritatis, aut alterius cuiusdã, uerũ est simpl'r principiũ, nec mõ rerũ principiũ, sed pricipiũ principiorũ. Oportet enim principẽ ꝓprietatẽ non ut aliæ à multitudinẽ inchoari, sed in unã unitatem, principium scilicet principiorum referri atque extolli. Prima igitur illa, quæ à primo bono emanarũt, propter affinitatem quàm cum eo tenent, non cõmiserunt, quo minus essent bona, cùm immobilia sint atq; immutabilia, inq; eadem semper beatitudine posita, nec indiga ipsius boni, quoniam summæ bonitates sunt. Reliqua uero omnia, à bono illo uno & multis bonitatibus deducta, cum recesserint, ne summa bona essent, ac imobiliter in subsistentia diuinæ bonitatis, per participationem bonum habent. uerum infima, & quæ alieno motu cientur, ut corpora, quẽadmodum substantiam & motum extrà habent, neque sustẽtare seipsa queunt, quòd cum partibilia ac instabilia sint, non possint tota per tota sibi ipsa congruere atque adaptari, ut totũ qđlibet totius sui causa existat, nec mouere seipsa, cùm mortua sua sponte sint & inanima: Ita bonum quoque extrà habent. Media uerò ab immobili natura, & quæ semper eundem seruat similiter tenorem, superantur: sed quæ infima sunt & ab altero mouentur transgressa, mouentur quidem, sed à seipsa mouentur, nec ab alio quoquam externo, uelut corpora. Eiusmodi uerò sunt animi, qui & seipsi mouent, & corpora. Atq; idcirco corpora quæ intus mouentur, animata uocitamus:

quæ uerò extrinsecus tantùm, inanima. Animus igitur à se ipse motus corpora quoque mouet. Nam si ab aliquo externo motus moueret corpus, ab illo uerè ac propriè, quod animũ moueret, corpus moueret. Hæc igitur subã se ipsa mouẽs, ut q̃ sũmmo sit Mouente inferior, & p participatione bona fiat, mouet quidẽ ad bonũ, uerùm à seipsa, non ab alio, cupiens ipm atq; affectans. sunt uerò ipsorũ ꝓprii motus hi, affectatio, appetitus conatus, atque electio. Verùm primi quidem illi animi, ceu proximè à summis bonis producti ac deriuati, quãquam aliquid minus quàm illa habeant, cùm non sint bonitates, sed appetant ipsum bonum, tamen tanquam cognati ipsi atque affines, coniunctim ipsum & inseparabiliter appetunt, electionemq; uniformiter ad illud tendentem habent, nunquam ad deterius declinantes. Quòd si præelectio est pro alio quopiam electio, fortassis illis non inerit electio: nisi quis præelectionem, tanquam ipsa prima bona eligentem uocet. Animi uerò hominum ad uinculum cum eorum quæ suprà semper, tum semper infrà manent cõsistentes, & propterea natura apti & ad hæc & ad illa conuerti, quoties ad illa toti conuersi fuerint, simplices habent & oppositionis expertes cupiditates & electiones suas. Cum uerò ad illa sese conuertere non potuerint, quia res quoque inferiores agere uelint secũdũ substantiã quæ in ipsis inest, ad animæ formationem & motum sua sponte inanimatorum & ab alio motorũ corporũ, & ad ornatũ eorũ, q̃ alieno motu bonũ ꝑticipare apta sunt; q̃ suo motu ea q̃ ab alio mouent, mouet. Tunc igit cũ iis, q̃ gignunt & intereũt, & boni priuationi subiecta sunt conuersans, seq; ipm illis dedens, haud amplius electionem suam habet oppositione uacantem: uerum, quæ semper ad eligẽdum & bonum tendit, aut quod uerè bonum sit, aut boni speciem referens, quod decipit & inescat, ob quandam ipsi insitam uoluptatem. Nam, quoniam uero bono coniuncta est uera uoluptas, ubi uoluptatis adumbrationem aut imaginem senserit, nullo adhibito iudicio qualisnam ea sit, utrũne uera & uero bono proxima & affinis, an falsa boni umbra, festinat tanquam ad bonum, non animaduertens maiores ac plures habere dolores, prauiosq; prorsus. Non enim uoluptatem capit comedens, nisi prius fame afflictus fuerit: neque bibens delectatur, nisi sitim pertulerit. ac demum uoluptati coniunctus est dolor. Quin si eum qui in bibẽdo delectatur, inter potandum consistere iusseris, adhuc sitim inesse conspicaberis: atque eatenus manet uoluptas, donec tristitia coniuncta sit. Sedata enim siti, aut fame, aut frigore, aut alio eiusmodi haud amplius suauia uidentur quæ his sunt cõtraria, sed satiem potius afferũt. Comitatur uerò tristitia ferè semper eos, qui per uoluptatem in immodestiam ferũtur. Verùm ꝓpter suauis boni electionem omnia à nobis peccata cõmittuntur, uelut ob ueri boni electionẽ, honestæ & præclaræ actiones. Ac per electionẽ atq; præelectionem tum bonum, tum contrarium consequimur. Quoties enim electio libera est & pura ipsius rõnalis animi, ex quo formati sumus, tunc ad ꝓpriè eligẽdum & uerum tendit. Quò fit ut uerum animi bonum Virtus dicatur, tanquam propriè eligenda, & ex uera electione adueniẽs. Vbi uerò perturbationibus à ratione alienis se dedat, quodq; est illorum, suum putet, tunc falsam & adulterinam electionem habet. Nãq; & hoc in nobis est, electio uidelicet & præelectio nostra. opinio enim & conatus, & appetitus, & declinatio, ad electionem atque præelectionem referuntur: cùm omnes sint interni animi motus, non externæ impulsiones. quocirca ipsa in sua habet potestate. Atque idcirco & Deus & leges, & homines cordati, cùm electionem ac præelectionem tanquam quæ in nostro arbitrio sint, respexerint, tàm crimina quàm rectè facta diiudicant. Actiones uerò non spectant, cum eæ in nobis non sint, sed electionibus ac præelectionibus formentur. Cædi enim si inuito perpetrata fuerit, tanquam non ex electione & arbitrio nostro nec uoluntate factæ, uenia condonatur. qui uero pro dignitate ac iure interficit, uel collaudatur. Atque hoc pacto actiones nõ in se bonæ aut malæ sunt, sed ab electione & præelectione, quæ in nobis sunt, conformantur. Rectè igitur Epictetus ab hoc initium institutionis fecit, ad idq; omnia referre nos admonet, tanquam per id & bonũ

& malũ participemus. Cum uerò dicit rerum alias in nobis esse, alias nõ esse, non omnium
rerum diuisionem facit, sed earũ dũtaxat, quæ in nobis aut circa nos uersantur. Nec enim
ullã habet adæquationẽ ipsa oppositio (id qđ cõuenit diuisionibus) siquis diuisioni eorũ
q̃ in nobis sunt, oĩa opponat tam quæ supra mũdum, q̃ quæ in mundo cõphendũtur.

Aduersus nonnullos, qui liberum arbitrium negabant. Cap. 5.

QVoniam uerò nonnulli refragantur nihil in nobis esse asserẽtes (quorum alii necessi
tate omnes nostras actiones ac affectiones fieri existimãt: alii fortuitò & temerè nos
more cylindrorum deferri.) Satis quidem facere poterãt, quæ à nobis iam dicta sunt de or
dine liberi arbitrii, electionis, ac p̃electionis in rebus, & de necessaria ipsorum subsistentia:
sed forte nil uetat, peculiariter quoque aliquot uerba facere aduersus eos, qui liberum arbi
trium è medio tollunt. Casus igitur & liberum arbitrium, & fortuitum, si ita accipiantur,
quasi nobis nullo proposito scopo agentibus, nec uera erit oratio, nec si uera foret, in om
nibus nostris actionibus esset uera. Omnes quippe artes ac naturæ scopo quodam ac fine
sibi proposito, ad ipsum omneis actiones ab initio usque ad postremũ dirigunt. Atq; omni
no omnis animatorum motus & actio alicuius boni causa perficitur, quod sit, uel esse bonũ
uideatur. Nam fuga à re noxia, propter bonum & tanquam utilis fit. Quòd si quis ita for
tuitum & casum accipiat, ceu impossibile aut noxiũ existat ipsum appetendũ, ut dicimus,
frustra & fortuitò medicamentum alicui exhibuit, uel quòd nequeat prodesse, uel quòd in
terdum lædat, non tollit liberum arbitrium, qui ita loquatur. Non enim possibilium solũ
& utilium appetitum & declinationem in nostro arbitrio esse dicimus, sed uel impossibiliũ
& noxiorum. Quare non solùm rectè facta in nobis esse dicimus, uerũ etiam peccata. Eo
rum autem, qui coactam & non sui iuris nec in nobis esse opinionẽ & appetitũ, & omnino
electionẽ aiũt, ac p̃positũ, tanq̃ aliunde moueat̃, nec intus à nobis p̃grediat̃: alii caussam
indigentiæ tribuunt: quis enim esuriens aut sitiens rigensúe, non appetit cibum & potum,
uel calorem, uelit, nolit? quis morbo affectus, ualetudinem non optat? Nõnulli uerò ip
sum opinabile, & appetẽdum, aut fugiendum, uolentes & inuitos nos ad seipsa mouere ac
trahere aiunt. quotusquisq; enim est eorum, qui numerare utcunque didicerit, qui bis duo
quatuor esse non opinetur? Et quõ in nobis est ita opinari, ac non potius in ipsa opinabi
lis natura? Quis item ubi bonum aliquod senserit, aut honestum pulchrúmue, aut contra
ria, quin illa appetat, hæc declinet, tanquam ab illis motus? Præstantissimi enim Physici
id, quod primò mouet, ipsum appetendum esse autumant. Quod uerò aliunde ex necessi
tate omni mouetur, quì in nobis esse poterit? Alii uerò appetentis affectionem causantur,
tanquã ex necessitate moueatur ad quod apta naturà sit, cum in eo nõ sit non ita appetere.
Qui. n. cõtinens habitu est, opera modesta, ac studia appetit: Intẽperans item, immodesta.
Atque in neutro eorum est, etiam si ita nolit appetere. Quidam itaque suos appetitus uel
iniquo animo ferentes, eosq; non cieri, sed quiescere uolentes, impelluntur tamen habitu
ac consuetudine ad peculiaria appetenda, ab illisq; alieno motu trahuntur, ceu in ipsis
non sit quominus ita moueãtur. Præterea opinãtur de rebus, eruditus quidem uera, indo
ctus falsa, nec aliter fieri potest. non enim est in uiro docto falsum opinari, neque in impe
rito, uerum omnino. sed opinari falsa in indocto est: non falsa uerò, in perito. Haudquaq̃
enim falsa opinari uellet indoctus, si in eo id positum esset. Studiosus itidem atque erudi
tus, si in eo esset uera opinari, posset sanè etiam falsam habere opinionem, & si quis ipsum
magnopere id uelle supponat. Quemadmodum enim ipsa sensilia; qui ualentes habent
ac solidos sensus, impossibile est ut non rectè sensu percipiant: ita se quoq; habet in rebus,
quæ ratione deprehendunt̃. Hæc sanè fortasse afferant, qui nihil in nobis esse concedũt.
Uerũ maxima hominum pars fixos illos semperq; certos orbes ut omnium aliarum rerũ,
ita appetituũ nostrorum & opinionis ac electionis auctores existere asseuerant. Cuius rei
testeis adducunt Astrologos, qui ex siderum in ortu alicuius situ, hunc uoluptuarium fore

 pronunciant

pronunciant, illum auarum: alium studiosum ac philosophum. Appetitus uidelicet prædicunt, quos ubi ad ætatem peruenerint, exercebunt. Si igitur hi uera dicunt, necesse est penitus illos exercere appetitus, qui à fato dati sint: nec in nobis est alios loco illorum sequi. Quomodo igitur in nobis est, hoc uel illo modo appetere, si prorsus necesse est, uelimus nolimus, uniformiter ad hoc uel illud expetendum tendere? Hæ igitur ac eiusmodi erunt cõtrouersiæ aduersus liberum arbitrium, quæ ne appetitus quidem aut declinationes, aut demum electiones nostras in nobis esse concedũt. Verùm aduersus rationem ab indigentia ductam dicendum est, indigentiam non inducere appetitum. Nam pleraque penitus inanima uelut plãtæ quapiã qualitate egentes, ceu humore, aut siccitate, seu calore, siue frigore, non tamen appetunt, quoniam appetendi uim non obtinent. Quæ enim appetunt, & percipiant appetendũ, & ad ipsum moueant necesse est. Non igitur appetitũ indit egestas. Res uerò appetens, ubi re ulla indiget, ad opem egestatis prætendit appetitum: quemadmodum nobis non præbet manus pruriginosa affectio, sed ipsi aduenienti opem ferũt manus. Quinetiã nec arteis ipsas usus afferunt, sed animus ad eorum auxilium excogitat ac exercet arteis. Omnis nãque appetitus, motus internus est appetentis animi, ab ipso extentus, nõ extrinsecus aut aliunde inductus. Verùm irrationalium quidem animantium irrationalis uita, cum corporalis sit, nihilque habeat quod corpora excedat, uelut in peculiaribus egestatibus ipsius corporis, appetitus sequitur qui uniformes sunt. Quocirca coacti quoque uidentur & non sui iuris. Rationalis uerò hominis animus quia medius est, cum triplicem respectum habeat: unum ad deterius corporale scilicet & ratione uacans: alterum ad seipsum: tertium ad melius: triplicem itidem uitam exercet, triplicemque appetitũ. Ac quoties quidem se ipse corporibus dediderit, irrationalibusque corporis usibus, tunc illorum egestatem suam esse ratus, unà appetit illa coactè: Atque hic est ipsius appetitus, qui an sui iuris sit dubitatur. Quoties autem suam uitam uiuit, aut præstantiorem, tunc appetitum illius proprium exercet qui bonum illorum appetit. Is igitur animus uerè in se habet potestatem, ut hæc uel illa appetat, tanquam plures appetituum species exercere idoneus, alias deteriores, alias meliores, peioribus quidẽ ad uitiũ, melioribus ad uirtutem pro mouens. Quoniam electio secundum illas uerè electio est. Quo fit, ut sæpe corpore indigẽte, & sitiente, atque appetente cibũ ipse inediæ appetitũ proponat, aut ob legem quandam hoc imperantem, aut suæ curationis, aut corporis ualetudinis gratia. Perspicuum uerò est, eum tunc potuisse corporis appetitui obsecundare, id quod plerique animi faciunt, uerùm tanquam maius bonum alterum anteponit. Epictetus igitur ad animum rationalem respiciens, non immeritò in eo eẽ ait, hoc uel illo modo appetere. Cæterũ qui à re appetẽda animum moueri ad appetitum aiunt, uera quidem narrant, non tamen quantum sibi persuadent. Non enim mouet animum ad appetitum, tanquam aliunde moueatur: sed suam susceptionem promptam ac paratam præbens, qua euocat id, quod naturaliter ad ipsum tẽdere solet. Velut enim res sensilis non indit sensum sentienti, nec tanquam aliunde moueatur, trahere ad se ipsa solet, uerùm se præbet aptam ad coaptationem eius, quod naturaliter ipsi accommodari solet: Ita quoque res appetenda suam proponens commoditatem, euocat animi erga id propensionem, quæ huic familiaris est. Quocirca propositis rebus appetendis, alii appetunt, alii non. Cum tamen si res appetenda eius fuisset naturæ, ut appetens cogeret, & ab ipsa motus proficisceretur, necesse profectò esset ut omnia appetendi ui prædita id appeterent, & si hæc magis, illa minus. Præterea id ne appetitus quidem esset, sed impulsio, aut tractio uiolenta, qualis in corporibus cernitur. Appetitus nãque propensio quædam est manente eo, quod appetit, nec recedente, uelut manus extendimus, quæ non mutantur tamen. Appetitus igitur motus est internus à nobis proficiscẽs, ut opinio quoque & reliqua eiusmodi: uerum quandoque aptè ad naturam rei appetendæ, & opinabilis proponitur: quandoque uerò euariat, ut cum ad aliquod appetendum ten-

dere uideamur, quod appetendi speciem præ se ferat, plus tamen fugiendi habeat, ac ostendens quidem aliquid, tanquam appetendum, quo appetitum allectat: sed abscondēs aliquid fugiendum in seipso, quod propter commoditatē quæ circa imaginē rei appetendæ, in ipsa cum sit, latitat. Qui enim furatur ad diuitiarū imaginem tāquam rem appetendam tendens, id quod in eiusmodi opibus fugiēdum inest, quod animum præsertim iniustum reddit, nec nouit nec obseruat, aut cauet: timorem uerò, ne deprehendatur ab hominibus, & plectatur (quod solum infortuniū eiusmodi conatus putat) ob feruescentem appetitum penitus deponit, sibi ꝓponens permultos eius generis homines delitescere. In nobis itaque est, examinare ac perpendere rem appetendam, siue uerè talis sit, siue solum imago appetenda, uelut in suprà dicta de diuitiis adumbratum est: Præterea nostrum quoque appetitum emendare ac corrigere, & docere ut uerè ac propriè appetenda appetat, nec circa imagines decipiatur. Aduersus illos porrò, qui asserunt ut appetitus appetentis & opinantis ad proprium appetendum & opinandum tendat ex natura, non in ipso esse, hoc uel illo modo, uelut in gleba, ut deorsum feratur: Nam in ipsa esset motus quoque ad superiora. Aduersus hos inquam respondendum est, duplicem esse necessitatem, unam quæ ipsi libertati opponitur, alteram quæ cum ipsa conuenit. Externa igitur necessitas libertatem è medio tollit. Nullus enim extrà coactus aliquid facere uel non facere, liberè ac pro suo iure agere dicitur. Interna uerò, quæ omnia cogit pro sua natura agere, ipsa potius libertatem conseruat ac tuetur. Id enim quod seipsum mouet, ꝓ natura eius quod se mouet, à se ipm̄ moueat̄ necesse est. nec idcirco aliunde motū accipiet. Non enim extrà est necessitas ipsa, sed iuncta est naturæ eius, quod seipsum mouet, ipsamq́ conseruat, ac ad proprias actiones producit. quòd si & habitus & affectionis tam præstantioris, quàm deterioris ipse sibi animus caussa existit ob bonam aut malam consuetudinem, profectò & quæ ab habitu proficiscuntur & à affectione actiones, ipsi tribuendæ sunt. Non tamen in omnibus hæc libertas & liberum arbitrium iudicandū eatenus est, quòd possint etiam contraria facere. Animi enim qui bono semper deuincti sunt, & ipsum bonum eligunt, liberam & sui iuris electionem obtinent (Quæ enim coacta est, non est electio.) semperq́ ipsam de bono habent: nec unquā in cōtraria ferri aut trahi se patiuntur. Nostri autem animi, si boni sint, bona appetant, si mali, mala. mutantur quoq; è uitio in uirtutem, si cura fuerit adhibita ac diligentia: contrà item à uirtute in uitiū, si fuerint neglecti. Vtrūq; autem faciunt ex propria electione, non necessitate adacti. quocirca nullius prorsus uitiositatis Deus est auctor. Quanquam enim animum fecerit, ut uitiis deprauari possit, cùm nō prima solū produxerit, sed & media, & infima, ut perfecta ac absoluta Vniuersitas hoc pacto esset, utq́ prima uerè prima maneāt, non aūt infima ac sterilia imbecillaq́ & materialia euadant: fecit inquam propterea animum qui uitiis labefactari queat, cùm ipse bonus sit propter suæ bonitatis diuitias, non tamen aliter ipsum corrūpi permisit, nisi si ipse uoluerit. Porrò contra eos, qui cœli motus certos atque orbeis non actiones solùm nostras, sed & electiones cogere, nihilq́ in nobis relinquere, uerùm nomen tantùm esse hoc, quod liberum Arbitriū appellamus, dicēdum est. Si ingenitus incorruptibilisq́ est animus rationalis, quod nunc tanquam suppositum accipiatur, cum alibi demonstratū sit, licet Stoici aliud quid de eo opinati sint: Si igitur ingenitus est & incorruptibilis animus rationalis, ipse quidem sub motis causis subsistere non dicetur. Organum autem eius, hoc est animal, quod est corpus uitæ particeps, inde producitur. Caussæ enim quæ mouentur ex diuerso ad res quæ hic sunt, respectu, aliàs aliis subsistunt. Instrumētum uerò ꝓducitur animo usuro: quemadmodum igitur ex artificialium instrumentorum discrimine possumus artifices ipsis utentes dinoscere, hæc scilicet fabri esse, illa redemptoris, alia fabri ærarii, nec penitus ita solùm, sed habitus quoque utentium ipsis artificum, & appetitus in arte & perfectiones possunt ex instrumentis dinosci. Qui enim peritiores sunt in arte, expeditius

ac exactius instrumentis utuntur. Hoc pacto Astrologiæ gnari instrumenti naturam ex caussarum differentia spectantes, cum de habitu qui instrumento usurus est coniecturam faciunt, tum plerunq; scopum attingunt. Quoniam pleriq; animorum, ac præsertim in prauis Rebuspublicis, in quas grauati animi ex priore illa dignitate cōpelluntur, sese instrumentis nimium dedentes, ut non amplius tanquam instrumentis, sed tanquam peculiaribus partibus utantur: iuxta illa proprios quoque appetitus exercent. Præterea consonant certi illi orbes productioni animorū, quæ sua sponte uenit in generationē, quæ animos non cogit ut hæc uel illa appetant, sed conuenit cum eorum appetitibus. Velut nāq; in urbibus sacra tempora sacriq; loci uiros pios ac Deorum studiosiores in unum congregant: qui uerò plebeis uoluptatibus magis accommodati sunt eos, qui improbius ac licentius uiuunt, cogunt: Ac licet ex temporibus & locis de appetitu quoque & habitu conuenientium coniecturam facere: Ita etiam ex temporibus ac locis certorum orbium de iis, quæ consonè cum ipsis conueniunt ad animorum generationem, sententiam ferre nō difficile est. Quoties enim forma puniens Diuinæ bonitatis cum hoc loco certæ habitudinis respectusq; conuenerit, tunc in illum locum animi punitione indigētes demittuntur. Omnibus enim in rebus similitudo ac familiaritas cōciliatrix existit. Non igitur animorum appetitus Fatum cogit, neque liberū arbitrium de medio tollit, sed illi consentanei nunc huic nunc illi Fato sunt: & pro dignitate constructis organis, ut anteà dixi, conformati, meritò qualeis à certis cœli orbibus habituri sint appetitus, cognoscunt, atque eligūt animi uitas iuxta prioris ipsorum uitæ dignitatem & habitum. Vt autē bene uel male utātur uita, in seipsis potestatem habent. quocirca nōnulli, qui uitā sibi mercatoriam elegerūt, rectè plerunq; uiuunt: contrà qui philosophari uidentur, turpiter uitam degunt. Quamobrem modos uiuendi ipsos ac species, uelut rusticanam, uel mercatoriam, uel musicam animi ipsi secundū priorem suum habitum eligunt, & Deus ipsis pro dignitate distribuit: uiuendi uerò qualitatem à seipsis animi adiiciunt. Quare & laudem & uituperationem cōsequuntur secundum diuersa proposita. Quinetiam nihil praui à Fato inditur, ut quidam dicere audent, quòd dolosi, puerorum corruptores, & adulteri euadant. Quanuis enim quidam Astrologi in harum rerum prædictione non mentiantur, id usu uenit, quòd talem illinc proficiscentem proprietatem immodicè aut modestè excipiamus. Nam id prudentiæ euariatio, & calliditas facit. Puerorum etiam amoris proprietatem, qui modestè suscipiunt seruatores ac benemeriti de iuuentute existunt. qui uerò immoderatè, pestis atq; exitium. Nam in solares radios si quis fixis oculis intueatur, oculos amittet, cùm tamen lucis largitor sit Sol, & ut uideamus uideamurq; auctor. Alicunde igitur cognoscentes Astrologi, quínam modestè quiue immodestè sit participaturus, hos prudenteis, illos uersutos fore pronunciant. si igitur possibile est, illæ horū cōiecturæ sunt figurarū descriptionibus, aliæ apertæ, ceu Solis in Cancro situs immodestius à nobis participatur: aliæ uerò etiam obscuræ iis, qui artis Astrologicæ sunt ignari. Perspicuum enim est ea quæ naturam ducem sequuntur, & creatricem naturam conseruant, uimq; summā obtinent, prorsus uoluntate bona prædita esse, nulliusq; mali esse caussas. Quandoquidem omnis uitiositas ob impotentiā contingit, siquidē Potestas bonum quoddā est. Immodesta tamen uel bonorum participatio plerunque noxam affert. Hæc igitur aduersus eos, qui ex Fato liberum arbitrium euertere conāt, dicta sint. Nūc uerò aduersus eōs dicatur, eos qui liberū arbitriū animiq; libertatem tollunt, inscios animi substantiam ob id euertere ac labefactare. tollūt enim eum se ipsum mouere, ex quo maximè eius substantia dependet. Si enim ipse se mouet, internè à se ipse ad appetitus excitatur & conatus, & non extrà alicūde trahitur aut impellitur, corporum modo: siue extrà mouet, non seipse mouet. Deinde uitalem animi propensionem, & assensionem dissensionemq; non annumerant aut expendunt, qui liberum euertunt arbitrium. Quis enim est, qui se non sentiat, modò uelle, modò nolle, eligere, decli

nare, assentiri, dissentiri? qui omnes interni motus sunt ipsius animi, nō autem externi impulsus, aut tractiones aliquæ, ut in animo carentibus. hoc enim differunt uiuentia corpora ab inanimis, quòd interno cieãtur motu. Quòd si ita res habet, certè quod ipsa mouet, seipsum mouet, nec ab alio mouetur. si illud enim extrà moueretur, corpus quoque primò ab illo externo moueretur, ut prius dictum est, nec amplius intus sed extrà moueretur, ad aliorum inanimorum modum, atque ipsum inanimum esset. Prætereà, qui liberum arbitrium tollunt, & uelle & nolle, & electionem præelectionemq; ac conatum & declinationem, aliaq; eiusmodi, ii uirtutis quoq; ac uitii animi discrimen tollunt: laudem item ac uituperationem iustam non relinquunt. quin leges, quæ ad id pulchrè ac sapiēter latæ sunt, euertūt. at paulùm tecum ipse reputa, qualis hominis uita his sublatis futura sit. Nihil certè à ferina distabit. At dicat quispiam, nónne coacti plerunque à tyrannis, aut propriis affectibus, aut similibus, contrariisúe affectibus, eligimus hæc facere aut pati etiam nolentes? At quomodo liberum arbitrium ac libertas eo tempore conspicietur? Aio itaque tunc quoque electionem liberam ac sui iuris esse. Etsi enim non præcipuè id sit eligendum, ad quod necessitate compulsi ferimur, saltem alteri deteriori si conferatur, eligendum uidet, atq; ipm eligimus. Prætereà impossē est ut quicquā agamus, nisi prius ad faciēdum assensum præbuerimus. Qui enim sine electione aliquid facere uidetur, ut qui in aliquem inuitus incidit ab altero impulsus, is inanimati modo agit, nec propriè tunc agere dici potest, sed potius pati. Quare etsi inuiti faciamus, eligimus tamen ita agere. Quocirca eadem ingruente necessitate, alii iussis parere elegerunt metu maioris mali: Alii haud elegerūt, plus mali iussa exequentibus quàm minas illa despicientibus afferre arbitrantes. Sic itaque uel in is, qui inuiti aliquid facere uidentur, seruatur liberum arbitrium, ac libertas. Non enim idem est uoluntarium & liberum arbitrium: sed uoluntarium est, quod præcipuè eligendum est, liberum uerò arbitrium, cuius potestas ad eligēdum, siue præcipuè, siue maioris mali metu in nobis est. Quandoq; etiam uoluntarium inuito commiscetur, quoties res eligēda haud purè prorsus eligenda sit, sed aliquid quod fugiendū sit, retineat. Pulchrè itaq; Homerus eiusmod inuiti ac uoluntarii mistionem per ea uerba expressit,

Inuitoq; libens animo.

Hæc hactenus producere uolui, quoniam omnis fermè propositus sermo à Liberi arbitrii diuisione pendet. Cum enim instructorius sit rectè ab ipso statim initio, ubi bonum & malū nostra cōsistant, docet: Nosq;, cū nostrapte natura moueamur, in nostris actionibus ipsa habere. Quæ enim aliunde motum habent, ut essentiam, ita bonum quoque & malum aliunde habent, iuxta aduenientem ipsis extrinsecus affectionem. At quæ se ipsa mouent, cum sui motus & actionis caussæ sint, tum bonum suum, tum malum in ipsis habēt. Actiones autem propriè ipsorum ex ui cognoscendi, sunt rerum opiniones: ex ui uerò uitali & appetente, appetitus, declinationes, & conatus. quare cum rectè opinamur, aut conatum intendimus, declinamusq; decenter, tunc bonum nostrum, & naturalem perfectionē nanciscimur: Vbi minus, contraria. propria autem ac nostra opera sunt hæc, tanquam quæ à nobis solis nostraq; electione efficiantur. Actiones enim circa res externas, & circa arteis, uitæq; usus, ut docere, instituere, aut siquid his sanctius antiquiusq; est, multis egent auxiliis. Opinari autem & eligere nostra ipsorū sunt opera, cum in potestate nostra posita sint. Quare in ipsis bonum nostrum malumq; uersatur. Nullus enim ab aliis regi aut gubernari potest, quorum compos non est.

Non sunt in nobis corpus, possessio, gloria, principatus, & vno verbo quæcūq; nostra opera nō sunt. Quæ in nobis non sint explicat. Cap. 6.

Non quòd nihil in his animus prosit, idcirco ea in nobis non esse dicuntur: quandoquidem & corpus & possessio ipso ꝑspiciente, melius habet ac pulchrius, negligente deterius: ad gloriam prætereà caussas ipse ministrat, & principatus suo studio ac diligentia compa-

rat: nec maximè in iis gubernationibus permanserit quisquam, nisi ipso uolente. Sed propterea in nobis non esse dicuntur, quòd non in eius potestate solius hæc posita sunt, uerùm multis aliis opus habent, qui animo auxilientur, ut fiant. Atque hac de caussa hæc in nobis esse negat. Siquidem corpus indiget primis illis seminibus ualidis, habitudine sana, bona educatione, exercitationibus, locis, aere temperato, & aquis deniq; salubribus. Atque in his omnibus positum est, ut ualidius reddant, quodcunque uoluerint, nec tamen horum quicquam in nostra est potestate, ut prorsus ea acquirere, aut depellere queamus. Nam si hostes potẽtiores inuaserint, uellemus profectò latere: Aegrotantes item, quàm primum conualescere. Nec tamen nobis obtingit. Eodem pacto possessio quoque habet, quæ ad acquisitionem multis indiget auxiliis, ad decrementum item multis potentioribus subiecta est. Gloria præterea de nobis non in nobis est, licet caussas quasdam ipsi præbeamus, uerũ in opinantibus id situm est. In ipsis siquidem est qualiacunq; uoluerint opinari. Quò fit, ut sæpe erga Deum se impie gerentes, ipsi se pios esse ac bene de Deo mereri existiment, ab aliisq; tales habeantur. Et contrà, alii uenerabilius ac magnificentius de Deo sentientes, humana atque imperfecta ipsi attribuere uerentes, impii à quibusdam censeantur. Quin continentes nonnulli stolidos esse putant. Atque ita bene audire non est in nobis, sed in iis, qui de nobis hoc uel illo modo opinari uoluerint. Principatus uerò subiectis opus habent, & illis, qui ad imperandum opem ferant. tùm in ea Rep. in qua & uenales sunt magistratus, & multo auro ueneunt, qui pecuniarum egenus fuerit, nunquam ad magistratum aspirabit, & si maximè id cupiat. Sic igitur hæc omnia in nobis non sunt, cum nostra opera nõ sint. In diuisione autem eorum, quæ in nobis non sunt, corpus præponit, eius enim caussa necessitatem eorum quæ in nobis non sunt, incurrimus. Ob opes enim omnia bella nascunť: Eas uerò corporis ministerio nobis comparare cogimur.

Quę igitur in nobis sunt, natura sunt libera, nec quę prohiberi impediri'ue possint. Quæ in nobis non sunt, ea imbecilla, serua, & quę prohiberi possint, atq; aliena.

Qualia sint, quæ in nobis sunt, quæq; non sunt. Cap. 7.

Cum explicasset, quænam sunt in nobis, quæúe in nobis nõ sunt, deinceps qualia utraq; sint ostendit, quæ scilicet in nobis existunt, libera eẽ, quòd neq; fieri coguntur ab aliis, neque prohibẽtur, nec alius quisquã potestatem usus eorum habet. Eiusmodi enim est quod liberum existit, cum sui iuris sit, suiq; usus compos. Quæ uerò in nobis nõ sunt, cum iis qui iuuare ac prohibere possunt, subiecta sint, dominos illos habere, illorumq; serua esse. Et quæ alia non indigent ope, sed se ipsa contẽta sunt, benè ac prosperè agunt: Quæ uerò aliis egent, imbecilla ac egena sunt. Atque illa quidem prohiberi non possunt cum sui iuris existant. Quis enim prohibebit hoc uel illo modo opinari, uel appetere aliquid, uel auersari? Quæ uerò in nobis non sunt, cum & comparari & auferri ab aliis possint, ab illis prohibentur plerunq; aut non facta aut ablata. Liquet itaque ea que in nobis sunt, cum opera nostra sint, propria ac nostra esse: quæ uerò in nobis non sunt, tanquam in alterius potestate posita, aliena eẽ. Quare tum bona tum mala, quæ ex his, quæ in nobis sunt, ut uerè opinari aut falsè, uel modestè appetere uel improbè, nostra sunt bona uel mala: Quæ uerò ex iis quæ in nobis nõ sunt, non nostra. Verùm quæ sunt corporis, nostri instrumenti sunt: quæ uerò gloriolæ, longius etiam absunt.

Quod ex eorum quæ nostra, quæq; aliena sint, ignoratione notitiaq; eueniat. Cap. 2.

Si quæ natura sunt libera, serua putabis, & aliena quæ sunt propria, impedieris, dolebis, turbaberis, incusabis deos atque homines. Si verò quod tuum est, id solùm tuum esse putabis, & alienum, quod reuera est alienum, nemo te coget unquam, nemo prohibebit, neminem culpabis, neminem accusabis, inuitus nihil ages, nemo te lædet, inimicum non habebis: Neque enim quicquam noxium experieris.

Quopacto tam in iis quæ sunt in nobis, quã quæ non sunt, gerere se oporteat. Cap. 8.

Postquam enodauit, quæ in nobis sint, quæúe non sint, qualiaq; utraque sint, qualemq;

erga nos respectum habeāt, quod uidelicet, quæ in nobis sunt, propria ac nostra, quæ non in nobis, aliena sunt. Præcipit deinceps ut eorum naturæ obtemperemus, nec uariè circa ipsa nos geramus atq; inconstanter. Hæc enim nobis & felicitatē & infelicitatem pariunt. Si quis enim bona cōsequatur ac læta, nullisq; aduersis incurrat, is felix est: si uerò bonis ac utilibus frustretur, aut in noxia incidat, infelix. Si itaque bonum nostrum in eo consistit, ut iuxta naturam appetamus aut declinemus, hæc autem in iis, quæ in nobis sunt, uersantur, in his petendum est ipsum bonum, ut petētes omnino consequamur, propterea quòd in nobis positum est, ut consequamur: siquidem & appetendi & declinandi secundum naturam compotes sumus, proprium inq̄ bonum consequamur. Si uerò ea quæ non sunt in nobis, appetamus, & in illis bonum quæramus, bifariam frustrari necessariū est: uno modo prorsus & omnino, quoniam licet ea cōsequamur, propria tamen bona non consequemur: Altero modo, quoniam in pluribus frustrari necesse eum est, qui aliena tāquam propria inquirat, appetatq; ea, quæ in aliorum potestate collocata sunt. His igitur usuuenit, ut & conatus impediantur, & turbentur, cum non ad rectum tendant, ut item tristētur ac doleant. uelut enim gaudemus si cōsecuti fuerimus, & fugienda declinarimus: ita si eligendis frustremur, aut in fugiēda incidamus, dolere necesse est, eosq; qui auctores fuisse uidenť, incusare, modò homines, modò qui uniuersa regunt, Deos. Aliud quid præterea ualdè graue patimur. Si enim perturbemur iis, quæ in nobis non sunt, ubi quis ea auferat aut euertat, etiam quæ sunt in nobis, amittimus, quæ ille adimere nequit, rectè scilicet appetere, & euitare. Cum dixisset autem, quot incommoda hanc uariationem comitentur, nunc ait, si rectè & nostra & aliena disponamus, & non alienis sed nostris bonis, quæq; in nobis posita sunt, incumbamus, hoc est appetitui naturæ obsequenti, & declinationi, nec coget alius ullus, nec prohibebit unq̄ nos sic appetere & declinare, neq; coget, cum ea in nobis posita sint. Quòd si hoc ita habeat, nec dolebimus unq̄. Nihil aliud enim nobis dolorem affert, præter duo hæc, frustrari his quæ uolumus, & in illa, quæ euitare contendimus, incurrere. Si uerò in eas res, quæ in nobis sunt, incumbamus, neq; frustrabimur ulla re, q̄ appetamus, neq; in rem, q̄ declinamus, incidemus. Quare nec ullum unq̄ timebimus, quādo quidem timemus eos, qui aut nos lædunt, aut utilitates prohibent. Nemo autem potens adeò est, ut appetitus & declinationem, in quibus & bonum & malum uersatur eius qui ratione duce uiuit, cogere possit. Quocirca nullum habebimus inimicum. Ille enim qui lædit, inimicus esse censetur. At nemo noxius illi est, qui ab alio lædi nō potest. Neminē igitur is culpabit, nec incusabit quenq̄, sed neq; inuitus unq̄ aliquid aget. Dolore igitur carebit & metu, libera & felix reuera erit eius uita, qui sine perturbatione & uoluptate uiuit. Animaduertas porrò, quomodo non utiliorem solùm sed & iucundiorem uitam studiosi esse ostendit, Quemadmodū Plato, quòd omne animal ex natura iucundum affectat. Verùm ex iucūdis alia bonis nostris & utilibus iuncta sunt, alia noxiis. Atq; hic sobrium ac modestū se præstare oportet, ut utiles uoluptates deligamus, in illisque assuescamus. Nam iucundiorē uiro bono ac studioso esse temperantiam, q̄ incontinentiam improbo, inde liquet, quòd pleriq; improbi in temperantes euadunt: temperantes uerò cum ratione ac prudentia nunq̄ in incontinentiā delabunť. Atqui nisi iucūda esset decenter temperātibus ea uita, non certè ipsam libentes ac læti complecterentur. Iucundiorem igitur esse uiri boni uitam ostendit ex eo, quòd non impeditus, non inuitus, sed uoluntarius sit eorum uitæ cursus, qui in rebus, quæ in nobis sunt, & bonum & malum collocauerunt.

Quòd aliena omittenda, nostra curanda, quodq; utraq; assequi non est. Cap. 3.

Si ergo talia expetis, memento non oportere modicè commotum ea attingere, sed partim omnino dimittere, partim in præsentia reycere, ac primò tui ipsius curam agere. Si autem & hæc ipsa uelis, regnare scilicet, diues esse, & domesticos dirigere, fortasse neque hæc ipsa consequeris, quia priora quoq; expetis. Illa uerò nullo modo consequeris, quæ sola homini libertatem ac felicitatem pariunt.

Cum

Cum ostendisset, in quibus bonum nostrum consistat, in rebus uidelicet, quæ in nobis sunt, qualisq; eorum futura uita sit, qui inde ipsum sibi comparare uelint, non autem ab externis, quæq; in nobis non sunt: Quomodo item ad bonorum adeptionem non impedita prorsus nec prohibita sit, omniq; damno ac noxa imperuia ac inuulnerabilis, nullumq; iacturæ aditũ præbeat, nec utilis tantùm, sed & iucunda sit, nec in appetitu præpediatur, neque in ea quæ declinat, incidat, sed in summa beata ac felix existat: Hinc monet atque hortatur auditorem, ut dignam in hisce præceptis alacritatem præstet, non tantùm ut eis post alia obiter operam impendat, sed ne obiter quidem reliqua præ his curet. Quare ex rebus externis, quæcunq; ad rationalis animi uitã iuxta naturam accommodari non possint, cuiusmodi sunt epulæ, corporis uoluptates, sordidæ ac impuræ diuitiæ, principatus, & imperia, eas omneis ꝓrsus prætermittere iubet: Cu fieri nequeat, ut illis operã demus, & simul naturæ obsequentes nos ipsos conseruemus. Cætera uerò omnia externa, quæ si modestè tractentur, bona animi impedire non possunt, ut quæ ad domus possessionẽ, res familiares, nuptias legitimas, liberorum ingenuam susceptionem, iustum principatum, quandoq; item rerum quotidianarum curam spectãt: hæc omnia, qui erudiunt̃, in præsentia reiicere meritò admonet. Siquidẽ eos cũ uirtutis exercitatione semper & passim esse cõiunctos, nec unquam ab ea ne transuersum quidem unguẽ recedere oportet, si in ea perfectè se gerere uelint. Porrò necessarium est, ut is, qui in rebus externis non populariter, sed ut uirum bonum decet, uersaturus est, tum prudentia ꝑditus sit, qua & utilia & dãnosa discernat: tum etiam irrationaleis appetitus rationi subiectos habeat, necã se rebellare ac desciscere permittat, sed ad ea tantùm appetenda, ad quæ ipse iubeat moueri, & quando, & quatenus pro modo ipsis præscripto excitari. Peccata enim committuntur, uel ratione quod decet non præscribente ob prudentiæ inopiam, uel illa quidem licet obtusè ac crassè, uidente quid factu opus sit, sed irrationalibus cupiditatibus ob inscitiam imperiosè nimis laxo rationis iudicio refragantibus, uelut cum Tragœdia sub Medeæ persona inquit,

Scio mehercle quod scelus factura sum,

Meis sed ira est consiliis potentior.

Est igitur operæprecium ut is, qui in rerum externarum usu sine crimine uicturus est, prudentiam sibi ipse comparet, ac irrationalium cupiditatum modestiam ac temperãtiã, seq; rationi obtemperantem præbeat. Tũ ita his uelut armis infractis munitus, pro tempore ea capessat. Quamobrem uel ea externa, quæ cum uirtute possunt congruere, in præsentia reiicienda eruditis præcipit, donec uirtutem usus eorum nacti fuerint ob assiduam exercitationẽ. Neq; enim ad bellum sine armis proficisci honestum est, nec res ipsas citra prudentiam atq; affectuum modestiam capessere. Nam ipse non inutilem solùm, sed inexhaustam rerum externarum curam esse eruditis ostendit. Vitæ enim prospero successu, cupiditatibusq; rationi obtemperantibus ac declinationibus, quæ sola libertatem & felicitatem hominibus pariunt, omnibus frustrari necesse est eos, qui & ea quæ in nobis non sunt, appetunt, & illa declinant. Nam cupiditatibus ratione uacantibus seruiant, tanquam rabidis & agrestibus dominis, necessariũ est: Hominibus itẽ famulent̃ iis, qui & suppeditare eiusmodi appetenda, & prohibere possint, ne prohibeant: Iis demũ seruiẽdum est, qui fugienda inferunt. Præterea cum ocium nos uetet rerum domesticarum cura: opera ac studiũ circa res externas ut propriis bonis defraudemur facit. Qui enim utraq; affectant, & utrisq; incumbunt, nec bona discernunt aut mala, ne conuenientẽ qdẽ operã propriis bonis nauant. Nam cũ non ut par esset, illis dent operã, nullo pacto ea consequi poterunt. Ferè autem semper externis quoque frustrantur, cum non in eis solùm occupentur, sed quadantenus bona quoq; propria affectent, confestim oĩa facere aut perpeti, ut ea consequantur, detrectãtes. Quin quandoq; pudore quodã reuocãtur. Verùm eiusmodi uiuendi mo-

dus si quis uniformiter ad externa uergat, minus uituperanda. Laboriosior autem & molestior est eius, qui incōnexilia connectere studet, contrarietatibus ac pœnitentia semper implicitus, & utrisq; carens, quia utraq; appetit. Molesta autem est ac fugienda. Illud uerò animaduertendum est, in sequentibus Epictetum uerbo, memento, usurum, rationalem animum allоquēdo, qui coniunctas semper habet rerum rationes, sibiq; ingenitam rerum ueritatem, sed qui interdum ad uerum spectaculū hebescat ob attractionē primordialis potentiæ, quæ in ipso existit, & idcirco in obliuionem incidat, quæ omnium ipsius malorum caussa est, & propterea crebrò eius auris uerbo, memēto, pulsandæ sint. Cum uerò dicit eum, qui talia appetat, non oportere modicè commotum ea attingere, non propriè in modesti & immodesti significatu, uerbum, modicè, sed per abusum, pro, parū, usurpauit. Periculum enim decidendi ꝓpriis bonis, inualidū, ut Pindarus cecinit, uirum nō capit.

Quo nos pacto in aspera quauis imaginatione gerere oporteat. Cap. 4.

Continuò igitur in quauis aspera imaginatione disce considerare, imaginationem esse illam, neque id omnino esse, quod uidetur. Deinde scrutare id, & examina his regulis, quas habes: Primaq; hac, & maximè, utrum circa ea sit, quæ sunt in nobis, an quæ non sunt. Quòd si circa aliquod eorum sit, quæ in nobis non sunt, promptum hoc esto, Nihil ad me.

Non oportere imaginationibus turbari. Cap. X.

Cum narrasset oportere eum hominem, qui propria bona consecuturus sit, suamq; felicitatem adepturus, sese à rebus externis prorsus alienū præstare: sed quoniā etiam iis, qui sui suarumq; rerum curam gerunt, occurrunt plerunq; imaginationes, aliæ aliquid externum appetentes, aliæ fugienda declinantes, docet quomodo his uti imaginationibus, seq; illæsum tueri oporteat. Asperas autem eiusmodi imaginationes appellauit, quòd irrationales ac furiosæ sint, quæq; reuera uitam sua immodestia ac inæquabilitate motuū exasperent. Quod uerò inferius clarius præcipit, ne extemplo ab occurrente imaginatione, uel appetente uel declinante rapi nos patiamur, id nūc quoq; dicit: oportere uidelicet ipsi motæ statim aduersari, & tunc eius uehementiam dissoluere, cogitando eam imaginationem esse. Porrò imaginationes, quandoq; uera repræsentant ac uerè utilia, uel iucunda: Interdum inaniter ac frustrà somniant. Si igitur ita affecti simus, nō penitus tale esse quod imaginamur, quale nos imaginamur, tenor ac uehementia imaginationis relaxatur ac languescit ita, ut rationis iudiciū non interturbet, quod statim, ubi tranquilla fuerit imaginatio ac asperitate illa liberata, adhibendum monet, ad diligentē rei, quàm imaginati sumus, examinationem. Sunt autem regulæ permultæ, quæ ea iudicare ualeant, aliæ à rerum, quas imaginari consueuimus, natura desumptæ: utrum ad ipsius animi bonum, an corporis, an ad externum aliquod sit referendum: Vtrum item ad utilitatem aliquam tendant, an solam uoluptatem spectent: Fieri ne præterea possint, an uerò nequeant. Vna autem regula est, quæ & à iudicio circa eas res ac studio prudētum stultorumq; hominum, multò magis à Diuino iudicio ducitur. Quod enim uiris prudentibus placere uidetur, id studio dignum illis erit, qui salutem consequi cupient. Quæ autem illis displicent, fugienda sunt. Nemo enim adeò stultus, aut affectu uictus est, qui incontinentiā & iniustitiam Deo placere arbitretur. Cum multæ itaq; regulæ extent, quæ discrimen eorum, quæ imaginamur, iudicare possunt, una præcipuè est hominum, tanquam hominibus peculiaris, qua communiter in omnibus uti debemus. Ea est ab eorum, quæ in nobis, quæue non in nobis sunt, diiudicatiōe ducta. Si enim aliqd, qd' imaginemur, ex iis est, quæ in nobis nō sunt, aut appetendum aut declinādum, pulchrum est cognoscere statim, & illud dicere: hoc nihil ad nos. Neq; enim bonum neque malum nostrum quicquam esse potest, quod in nobis non sit, ob libertatem, qua hominum substantia formata est. Cum penitus enim eiusmodi natura in rebus ingenita sit, bonum quoque suum & malum in sua uoluntate ac electione positum ut haberet, decebat.

Quomodo

Quomodo tractanda sunt, quæ in nobis sunt. Cap. 5.

Memento appetitus promissionem esse, ut consequaris quod appetis: declinationis autem promissionem, ut in id non incidas quod declinas. Qui ergo appetitus promissione frustratus est, infortunatus est, qui autem in id quod declinat, incidit, male est fortunatus. Si ergo sola declines, quæ præter eorum naturam sunt, quæ in te sunt, nunquam in id incides, quod declinabis. Morbum autem si declines, aut mortem, aut paupertatem, male fortunatus eris. Aufer igitur declinationem ab omnibus, quæ non sunt in nobis, eamque transfer in ea, quæ præter eorum naturam sunt, quæ in nobis sunt. Appetitum uerò penitus in præsentia aufer. Si enim appetis, quæ in nobis non sunt, aliquo eorum frustreris necesse est. Quantum uerò eorum, quæ sunt in nobis, appetere expediat, nondum tibi constat. solo animi conatu, aut auocatione utere leuiter, & cum supputatione & remissè.

Quis fortunatus, infortunatus, & male fortunatus sit. Cap. 11.

Hoc quoque superiori affine est, demonstratque ea, quæ imaginamur, appetenda, si eius quod in nobis est, quodque non est, regula adhibita dirigantur, uoti compotes nos & beatos: Si minus, infortunatos infelicesque prorsus reddere. Primò itaque finit, quósnam uoti compotes, & fortunatos uocemus: quos item infortunatos, & male fortunatos. Appetitus enim promissionem & finem esse, ne in id quod declinamus, incidamus. Idque fortunatum est, ne incidamus, uelut contrà infortunatum est, non consequi quod quis appetit, quoniam non consecutus est. Male fortunatum uerò est, quod bene fortunato opponitur, incidere in rem fugiendam, quoniam consecutus quidem est, sed mali aliquid consecutus. His pulchrè distinctis, sequentia subtexit, Si sola declines, quæ præter naturam eorum sunt, quæ in te sunt, cuiusmodi est incontinentia, iniustitia, & reliqua his similia, quoniam in te est ut declines, in nullum eorum, quæ declinas, incides: quare nunquam male fortunatus eris. Quòd si morbum, aut paupertatem, aut quid eorum quæ in nobis non sunt, declines, quoniam in te non est, ut ea deuites ac fugias, necesse profectò erit incidere, ac male fortunatum fieri. Eodem pacto si ea, quæ in te non sunt, appetas, frustreris sæpenumero necesse est, remque appetitam non consequaris. At si in iis, quæ in nobis sunt, appetitus & declinatio sit, neque unquam male fortunatum esse continget, sed semper bene fortunatum, ac uoti compotem. Orationis uerò collectio huiusmodi est, Qui iis, quæ in nobis non sunt, appetitum & declinationem collocat, & sæpe rebus appetitis frustratur, & in declinatas incurrit, cum in aliis eorum potestas sita sit. eum autem infortunatum ac male fortunatum esse in confesso est. Quare miser quoque & infelix. At contemplare quàm humana sit oratio & quàm omnium consensu probata, & ab iis, quibus nos præcipuam damus operam, ad honestiora ac meliora traducens. Omnes enim tam qui honestè, quàm qui turpiter uiuunt, in eo felicitatem ponunt, in appetitorum scilicet ab ipsis adeptione, & fugiendorum declinatione. Hoc tamen distant, quòd boni uiri ac honesti uera & syncera bona utiliaque appetunt, & quæ uerè noxia ac mala sunt, declinant: Propterea quòd ratio ipsis iudicat, & irrationales appetitus rationi obtemperare assueti sunt, eáque iucunda existimare, quæ rationi uideantur esse eiusmodi. At uulgus hominum, cum rationem habeat neglectam, irrationales uerò appetitus ob continuum motum exercitatos uoluptate ipsa appetenda metitur, non utilitate: Atque in uoluptates quandoque incurrit, quæ una cum dolore permistæ sunt, quia non propriè uoluptates sunt, sed uelut uoluptatum umbræ quædam atque figmenta. uniuersi tamen, ut dixi, in eo bonam fortunam ac felicitatem statuunt, ut consequantur, quæ appetunt, & fugienda non experiantur. Indicat itaque sermo is ipsis etiam improbis, si uelint appetitu non frustrari, aut in ea, quæ declinant, non incidere, ut tam iuuantia appetenda, quàm lædentia fugienda in iis, quæ in nobis sunt, constituant. Qui enim quæ in nobis non sunt appetunt, aut illa declinant, tum necesse est ipsos frustrari, tum etiam male fortunatos esse: id quod illis quoque fugiendum est. Aufer igitur declinationem ab omnibus, quæ in nobis non sunt, & transfer in ea, quæ præter naturam eorum sunt, quæ in nobis sunt. Morbum enim uel paupertatem

si declinaris, quoniā nō penitus in nobis est ea effugere. Nā licet uim quandā obtineamus, quæ interdum ad effugium conducat, non semper tamen, nec totum potest. Quare male fortunatos esse necesse est, si in ea incidamus, quæ declinamus. Quòd si ipsi Epicteto parentes declinationem in ea transferamus, quæ præter eorum naturam sunt, quæ in nobis sunt, ut falsas de rebus opiniones, & quæ ad uitam naturæ obedientem, rationiq; conuenientem, nos retardant, declinemus, cum in nobis sit, ea effugere. Quamobrem sola opus habemus declinatione, quæ in nobis est, atque ita nunquam in ea incidemus, quæ declinamus. Verùm hæc quidem satis patent.

An omnis appetitus in præsentia penitus auferendus. Cap. 12.

At uerò quónam modo uniuersum penitus appetitū in præsentia auferēdum esse hortatur? Nam rerum quæ in nobis non sunt, si auferatur appetitus, apertam id habet utilitatem: Si frustremur enim, infortunati erimus, iniucundeq; atq; ingratè uiuemus. Quòd si consequamur aliquando, nec utile nobis nec proprium consequimur bonum. Sed contrà, cur eorum quæ in nobis sunt, bonorum appetitum prohibet? Quoniam, inquit, quæ nam ex his appetere deceat, nihil adhuc tibi constat. Quinetiam si cōstaret, nondum fortasse appetendi tempus erat. Appetitus quippe est appetentis ad rem appetendam, ceu absentē, propēsio. Quis uerò bonū cōsequi pōt, citra eius appetitū? Demū si bonū nrm̄ nō in actionibus, sed in appetitionibus naturæ obediētibus, & declinationibus uersat̄, quónā pacto appetitū prsus in pſentia tollēdū iubet? Qui item fieri potest, ut sine appetitu maneat hō? Præterea contrariū illi esse uidetur, qd' paulò antè dictum est, cum aiebat, si talia appetis, memento non oportere modicè cōmotum ea attingere. Non enim corporalem motum indicabat, sed qui ex propēsione & appetitu nascitur. Ad hæc, quomodo conatus intendi sine appetitu potest? Prius nāq; appetisse necesse est, hinc conatum intendere.

Obiectioni fusißime respondet. Cap. 13.

Num fortasse sermo fit ad eos, qui institui incipiunt, quibus haudquaquam tutum est appetere antequam didicerint, quæ appetere oporteat? Animi enim conatum intendere aut auocare oportet pro ipsius appetitus præcipuo conatu aut declinatione. Fortasse igitur ad eos, qui adhuc instituuntur, uerba faciens, nō omnem penitus eorum quæ in nobis sunt, bonorum appetitum auferre hortatur, ut uerba sonare uidētur: sed nimiam uehemētiam appetitus uel declinationis, quā admittere uidetur, uetat ac dissuadet. Animi enim conatu aut auocatione leuiter ac remissè uti monet. Patet autem nos cum appetimus, animi conatum intendere, cum declinamus auocare. Præit enim conatū appetitus, auocationē declinatio. Quando itaq; superius dicebat, si talia appetis, memento non oportere modicè commotum ea attingere, non uehementem ac īmodicū appetitum præcipiebat, sed ea, quæ deinceps ipse affert, alia penitus dimittere, alia in præsentia reiicere. Vehementiā porrò conatus & appetitus auocationisq; & declinationis in iis, qui erudiri incipiunt, meritò uetat, ne subsiliant ac trangrediantur ob uehementiorem propensionem. Id enim in plurimis animi tenorem relaxat ac soluit, & corpora inficit ac labefactat. Pleriq; enim id iam passi sunt, qui importuna atque immodica ad exercitationem propensione usi sunt. Paucæ enim sunt naturæ tam corporum quàm animorum, quæ extemplo à deterioribus ad uera ac syncera bona transire possint. Hoc enim Diogeni, Crateti & Zenoni, aliisq; id genus licuit. Nos uerò multi ac uulgares & paulatim cadere, & surgere paulatim naturaliter possumus, tum quod ad animum, tum quod ad corpus attinet. Iter enim per media stabilius est ac securius, quod animi uim ac propensionem retinet ac frenat, paulatimq; ad auget. Quocirca animi conatu & auocatione leuiter ac remisse & cum supputatione uti exhortatur, hoc est ut cedamus aliquantulum, nec ad summum euehamus conatum & appetitum, declinationem atq; auocationē. Qui enim à uita turpi quæq; facile retrahi non possit, ad tēperantiā assuescit, haud statim ad summā frugalitatem ac sobrietatē insilire debet.

Sed

Sed paulatim ſeipſum à prioribus illis ſubtrahere, &, quod aureorum carminum Poeta ait, Cedendo à talibus fugere oportet. In cognitionibus præterea qui erudiri incipiunt, non oportet imaginationes loco dogmatum ac placitorum habeant, ut, ſi deponere opus ſit, facile deponant.

Cur declinationem ad ea, quæ præter naturam ſunt eorum, quæ in nobis ſunt, transferre, & appetitum in præſentia penitus auferre præcipiat. Cap 14.

At ſi in utriſq; leuiter ac remiſsè ſe gerere iis, qui erudiuntur, cõducit, cur declinationem transferre in ea admonet, quæ præter naturam ſunt eorum, quæ in nobis ſunt, appetitum uerò penitus auferre? An propterea quòd eos, qui ab improbiore uita ad honeſtiorẽ tranſituri ſunt, primò malæ uitæ uenenũ euomere opus eſt, tũ honeſtæ uitæ bonis paſci aliq;? Quod enim admirandus ille ac diuinus Hippocrates in corporibus pronunciauit, non pura uidelicet corpora, quantò nutrieris magis, tantò magis lædes, id prius in animis uerum eſſe conſpicitur. Improbitas enim illa priſtina, bona etiam, quæ accedũt, corrumpit & coinquinat: Ea quandoq; moleſta, quandoq; noxia exiſtimans: Modo tanquam inutilia aut impoſsibilia damnans. Simul quidem intentior fit, & poſt experimentum, ut uidetur, meliora deſpicit: Simulq; incurabili morbo laborat, neq; in poſterum, quoniam poſſibile erat interdum affici melioribus & orationibus & operibus, ipſa admittit, ut ſi quis in morbo regio mel amarum eſſe ratus, in poſterum ne guſtare quidem mel ſuſtineat. Quare ordo poſtulat bonæ uitæ ſuſceptionem. Præſens uerò ſermo & eos, qui inſtitui incipiunt ad triſtitiæ uacationem ac metus, libertatemq; præparat: ut iucundè uitam degant, quod omne animal ſummo opere affectat. Pulchrum equidem eſt perturbationũ uacationem appetere, uitamq; iuxta naturam rationi congruentẽ: Incipientibus uerò erudiri, ſatis fuerit affectuum mediocritatem hebere, & labi interdum, & conſurgere. Ii itaq; ea tunc conſequi non poſſunt, quæ apperere pulchrum eſt. Id enim eſt illud, nondum tibi cõſtat, cum appetas, quæ tunc conſequi nequis, & dolere, & infortunatum eſſe neceſſe eſt, hebeſcere item & nonnunquam deſperare. Prorſus autem, qui maiora immodicè appetunt, modica deſpiciunt, eaq; reſpuunt, cum maioribus comparantes, cum tamen, ut aiunt, impoſsibile ſit, maiora adipiſci ante parua, & ante modica maiora conſequi.

Quomodo tractanda, quæ in nobis non ſunt. Cap. 6.

In unoquoque eorum, quæ aut delectant, aut utilitatem præbent, aut diliguntur, memẽto cõſiderare, quale id quidq; eſt, incipiens à minimis. Si ollam diligis, dic ollam diligo: Ea enim fracta non perturbaberis. Si filium tuum amas, aut uxorem, dic te hominem diligere: Mortuo enim non perturbaberis.

Epilogus ſuperiorum. Cap. 15.

Cum diuiſiſſet ea, quæ in nobis ſunt, quæuẽ non ſunt, cumq; dixiſſet alia propria, alia aliena exiſtimanda eſſe, quóq; pacto res quæ in nobis ſunt tractare oporteat, declinare quidem quæ præter naturam ſunt, appetitum uerò in præſens cohibere, ob eas fortaſſe, quas recenſui, cauſſas: Quoniam etiam iis, quæ in nobis non ſunt, plerunq; utendum eſt, docet quanuis in nobis non ſint, citra perturbationem tamen ac dolorem in iis uerſari.

Diuiſio eorum, quæ in nobis non ſunt. Cap. 16.

Diuidit porrò id quod in nobis non eſt, trifariam, in ea, quæ exiguam quandam uoluptatem abſq; utilitate præbent, eiuſmodi nanq; ſunt, quæ oblectant: In ea, quæ utilia ac conducibilia ſunt: Atque in ea demum, quæ ob familiaritatem, nulla etiam propoſita utilitate, diliguntur. Hæc enim tria, uoluptas ſcilicet, utilitas, & naturæ neceſſaria beneuolentia, animum configunt in moleſtiis. Verùm aliis aliis oblectantur rebus: Alii tragœdiis & Comœdiis. Alii Athletarũ certaminibus, aut equeſtribus, aliiſq; ſimilibus. Nõnulli ſaltatoribus, præſtigiatoribus, mimis, & ſcurris. Quidam item ſpectaculis iucundis, uel naturalibus, ut pauonum, aut aliarum auium pulchritudinem cum ſtupore contemplantes, ſiue prata, lucos & eiuſmodi alia. Vel Artificialibus, ut qui picturis, ſignis, ædificiis, &

aliarum artium ornamētis dant operā. Alii uoluptatibus, quæ auditu percipiunť, dediti, ut qui suaueis uoces, & musicorum instrumentorum sonos mirificè amant. Multò quoq; magis, qui historias, & fabulosas narrationes ceu suaueis inhiant. Nam & hæc quoque nos demulcent. Quò fit, ut à pueris omnes fabularum amatores simus. Vtilia quoq; diuersa ac dissimilia sunt: Alia quæ ad animi utilitatem spectant, ut magister, boni æquales, librorum quoq; præcepta tradentium supellex, aliaq; huiusmodi: alia ad corpus attinent, ut alimenta, uestes, exercitationes: Alia ad externa referuntur, ut principatus, possessiones, ac pecuniæ, & similia. Diliguntur uerò ob familiaritatem, quanuis utilitatem præbeant nullam, liberi, uxor, cognati, amici, & ciues.

Quæ non sunt in nobis, caduca ac fluxa esse: et incboandum à minimis. Cap. 17.

In iis itaq; omnibus, reminiscere, atque eorū naturam promptam expeditamq; habeas, caducam scilicet ac fragilē esse, quæ facile adimi possit, quæ in nobis non sit. Crebra enim ac continua horum naturæ recordatio, iacturæ eorum meditatio est. Meditatio uerò assuetudine quadā facta, nō pmittit, ut ipsis accidētibus doleamus, ut in aliis, cōsueta ferenda sunt, & corpori & animo, etsi molesta sint. Pulchrè certè & hic & in sequentibus, à paruis incipiēdum esse præcipit, nec à paruis solùm, sed à minimis quibusq;, ne, ut prouerbio fertur, in dolio figlinam meditemur. Qui enim à maioribus incipit, facile superatur, & frustratur, hebescit, imbecilliorq; redditur, & animum despondet ac desistit. Qui uerò minima statim aggreditur, subitò robustior prorsus, quantulum id sit, efficitur: Confidentior item ac melior, quàm prius fuerat ita, ut paria quidem sine labore teneat, securius autem paulò maiora iam aggrediatur. Qui enim quater in die cibum capit, si statim totam diem ieiunare aggrediatur, & corpus subita illa mutatione perturbat, & ipse laboriosè ac molestè in iucūdeq; degit. Quocirca periculosa & infirma fit eiusmodi promotio. Quòd si, dum prius quater, tùm ter cibum capere incipiat, atq; ita assuescat, facile ut bis capiat fuerit, & multò facilius ut semel comedat, accōmodabiť, tutiusq; ac firmius. Eadē ratione in iis q̄ ob utilitatem diliguntur, si in paruis, & quæ non magni fiant, assuetus fuerit aliquis promptam eorum naturam habere, nec, si adimantur, penitus desperāda esse: Velut in olla, quæ ob utilitatem diligitur, quòd fragilis sit. At quid olla uilius esse potest? Paulatim itaq; transiens, & iam corroboratus, tolerabit, & si filium suum amet, non uerbis tantùm dicere, nec in exili imaginatione impressum habere, sed tota uita animatū affectumq; esse: Hominem amo, rem caducam & quæ facile adimi possit. Ita igitur animatus atque assuetus, ablato non turbabitur. Animaduerte autem quo pacto prudens & artificialis rerum tractatio uel iis, quæ in nobis non sunt per ea, quæ in nobis sunt, tanquam in nobis essent, utitur. Vt enim nō moriatť filius, in nobis nō est: Vt uerò prōptā habeamus naturā eius rei in nobis est, & idcirco mortē ipsam ut uitam speremus, nō turbari mortuo, sed ita se habere, ac si mortuus nō esset, & mortē ipsam, cum in nobis non sit, in nobis ut sit efficere, si tali dicere licet, mihi filius non decessit, aut, quod uerius est, quāuis decesserit, ego meipsum perinde ac non decesserit sine perturbatione conseruo. Pulchrè porrò exempla eorum, quæ utilia sunt, & quæ diliguntur, exposuit, indicans propemodum iis, qui proficere prorsus ceperunt, contēnenda ac despicienda ea esse, quæ ob solā oblectationē obseruantur colūturq;.

Quomodo præparari in actionibus oporteat, ut perturbatione uacemus, ac primò per meditationem. Cap. 7.

Cum rem quampiam aggressurus es, redige tibi in memoriam, qualis nam ea res sit: Si lotum abis, præpone tibi quæcunq; in balneo fiunt, irroranteis, inquietos, conuiciāteis, furanteis, atq; ita tutius rem aggredieris. Si autem continuò dices, lauari uolo, propositumq; meum secundum naturam seruare, & in quacunq; re similiter, non peccabis. Hoc enim pacto si quid inter lauandum impedimenti accidat, in promptu hoc tibi erit: Non hoc uolebam solùm, sed & meum propositum secundum naturam seruare. Non seruabo autem, si molestè feram, quę fiunt.

Cum

Considerandum, quid agamus. Cap. 18.

Cum explicasset, quomodo habere oporteat in iis, quæ à nobis obseruãtur in externis, oblectantia scilicet & utilia, & quæ diligunt à nobis: Deinceps infert, qua ratione ad actiones, quæ secundum nos sunt, præpari opus sit. Nam eæ parum in nobis sunt. Horũ etenim naturam explorandam expendendamq́; esse, qualesnam euentus habeat, nec desperandũ illa quoque tibi euenire posse. Vt, si molesta fuerint ea, quæ euenire solent, si opus quidem non necessarium fuerit, ne initio quidem ipsum admittas. Quoniam magnus ille Romanus Cato unum ex iis, quorum eum pœniteret, esse dicebat, si unquam eo nauigare itinere elegisset, quod potuisset pedibus conficere. Quare licet nihil molesti contingat, sed naturæ eius sint, plerunque ut euenire possint, peccatum est uel absque necessitate id eligere, & cum quis tutius ipsum aggredi ac tractare possit, uiam periculosiorem eligere, propterea quòd multi in ea incolumes euaserint. Quòd si necessitas contrà ingruerit rẽ opus attingere, uel cũ nauigare in insulam prorsus opus quis habuerit, uel ab insula, & patri uel amico periclitanti præstò esse, & dimicare demum pro patria, tunc haud est recusandum opus: præmeditãda tamen eius natura, & quæ euenire consueuerunt, ita demum aggrediendum opus est: Vt per meditationem assueti in ipsis non turbemur ipsis obtingentibus. Qui enim ita se comparat, uel si non contingant, lætatur, tanquam is qui iam ferè per meditationem contingentia effugerit. Quòd si sperare aliquando usu ueniat, absq; perturbatione ipsa & periculo excipit.

Obiectionem quorundam proponit. Cap. 19.

At dicet quis, primùm timidos & sine successu esse, qui rerũ infortunia ac frustrationes in animo semper obuersent. Præterea, molestam esse rerum dolorem afferentium, tanquã prorsus futura sint, imaginationẽ, molestius quoq; esse, diu quandoq; in ea uersari, cũ opus longius distrahatur. Quocirca melius is Demosthenẽ cõsuluisse dicet, ut oĩa semp honesta aggrediamur, bona spe ꝓposita: Ea uero, quæ Deus offerat, generosè ac fortiter ꝑferamus.

Dilutio obiectionis. Cap. 20.

Verùm ò bone uir si bonam spem Demosthenes in bonorum aggressione accipit, quicunque posteà euenerit finis, cum Epicteto sentit, nisi q̃ uiam ac rõnem non adiicit, quomodo generosè ferre oporteat, quæ Deus offerat, si molestiora fuerint. Epictetus uerò, ut facile feramus, parari consulit ex præmeditatione operis naturæ, & quòd nobis conueniat quodq́; molestias quasdam comites aliquando, quæ utraq; ex parte facilè tolerandæ fiant, habeat. Propter utilitatem item, & operis officium, cum quo quandoq; molestiæ iunctæ sunt, & quoniam præmeditata sunt, nec inopinatò aut insperatò ipse occurrãt. Si itaq; bonam sibi spem proponere Demosthenes præcipit ac suadet, quæ penitus ad salutem & incertos rerum euentus spectet, difficile, opinor, aut potius impossibile est obuenientes calamitates atque ærũnas æquo animo ferre. Nam neque corpus neq; animus sine perturbatione subitas mutationes perfert. Quãdoquidẽ anni temporum uices licet non subitò, sed paulatim fiãt, morbos tamen sæpissimè pariunt. Nec idcirco timidos aut successu carentes, aut molestè uiuentes id reddit, si eas calamitates animo præmeditemur, quæ actiones sæpenumero comitantur. Si enim bonam atq; utilem animo, idẽ est si homini dicas, actionem esse ratio ipsa summonuerit, quanuis in ea periculum adire oporteat, penitus boni cupiditas, & ut audeamus & ut agamus, facit, cogitationem quoque periculi consolatur atque corroborat, quia rectæ rationi paret, quæ ait, eligẽdum esse opus, quãquàm in eo periclitari opus sit. Nam periculum & noxa, cum circa corpus & externa sint, nõ sunt reuera nobis mala, si modò sapiamus. Vtilitas autem uel bonum, quòd bonam atq; honestã actionẽ cum periculo susceperimus, cum animi sint hoc est nostra ac uerè nostra, pro multis doloribus, noxis, exiliis, atque ignominiis pensant: Vel potius onera illa boni magnitudine consolãtur. Vnusquisq; enim homo maius bonum cum minore malo eligit. Quòd

si apparuerit bonum quidem nostrum esse, malum uerò alienum, nec oratio tantùm uerbis proferens & tenuis imaginatio confirmet, sed ratio ueritati cognata ac consors uitæ, quæ discrimina ipsorum sentiat, qui amplius timidè aut molestè animatus erit ob spem earum, quæ interdum honestis ceptis contingunt, calamitatum? Nam & idipsum, quòd cum periculo bonum eligimus, & non illaboriose, sed pro ipso mortem oppetere parati sumus, maximam iis, qui naturam ducem sequuntur, delectationem affert. Quod Menœcenses declarant, & quicunq; pro patria mortem elegerunt. Verùm Epictetus id in re uilissima docet, tum in multis, ac sæpe contingentibus notioribus sermonem faciens, & audientium conscientiam excitans: Tum etiam, quod ipse proximè dixit, in rebus minoribus nouitios exerceri monens ob prædictas caussas. Licet autem ad maiora quoq; transferre, quæ maiora plerunque pericula annexa habent, in illisq; rei naturam examinare, qualis sit quæ nos deceat, & quas molestias sæpe euenientes habeat, ac sibi præscribere, hæc, si accidāt moderatè ferenda. Hoc.n. pacto se ipse naturæ obtēperantē conseruare, bonoq; actionis frui poterit, & rerum euētibus nō perturbabitur. Si.n. turbatus fuerit, aut se in malo esse putauerit, aut initio non bono iudicio rem aggressus est, uel si tunc rectè, nunc turpiter & timidè turbatur, & pœnitentia ducitur: quæ utraq; naturalia sunt.

De perturbatione declinanda, per eorum naturæ considerationem, quæ nos perturbant. Cap. 8.

Perturbant homines non res ipsæ, sed rerum opiniones, ut mors nihil terribile: alioquin & Socrati uisa foret. Sed quia opinio de morte terribilis, ideò illa terribillis. Igitur cum aut impediamur, aut perturbemur, aut doleamus, nunquam alium accusemus, sed nos ipsos, hoc est opiniones nostras.

Exemplo mortis deiiciendam omnem perturbationem. Cap. 21.

Cum enarrasset, quomodo sine perturbatione manere possimus ob eas molestias, quæ actionibus plerūq; accidunt, si præmeditati ipsi tanq̄ futura, ac iudicātes uel cū ipsis actionem suscipere, ubi post meditationem perturbatione uacui fuerimus: In præsentia aliam significationem tradit à natura rerum ipsarum, quæ molestæ esse uidentur ac perturbant. Atq; non amplius minimum quid, sed maximū omnium, quod nos perturbet, ipsam uidelicet mortē, in exemplum affert. Nam si in hoc propositum ostendatur, multo magis in iis, quæ minus terribilia uidentur, ostensum erit. Ait itaq;, res, quæ nobis terribiles esse uidentur & propterea nos perturbant tanquam in malo uersemur, nec terribiles ipsas, nec perturbationis nostræ reuera caussas existere: Sed opiniones de rebus, quòd terribiles sint, esse quæ nos perturbant.

Mortem non esse terribilem. Cap. 22.

Atq; ostendit, id, quod omnium terribilium maximū esse uidetur, hoc est mortem præter tempus homini datam, non esse terribilem. Id uerò breuibus ostēdit, sed exactè, ac demonstratiuè ita rationem colligēs, Quæ naturā terribilia sunt, omnibus terribilia sunt, ut natura calida uel frigida, aut pulchra, uel similia oibus talia uidētur, iisq; præsertim, qui secundum naturam se habēt & prudentiores sunt: Mors non omnibus uidetur terribilis. (Nam Socrati non uisa est terribilis, qui cum eam effugere posset, mansit tamen sine perturbatione totum eum diem cum æqualibus & amicis, Animi ueritatem ostendens iuxta puram ac synceram philosophorum uitā, & qualisnam ipse esset docēs) Conclusio autem ex iis, quæ posita sunt, patet, Mors uidelicet suapte natura terribilis non est. Quare nec nos ipsa perturbat, sed opinio quam de ipsa retinemus, terribilem scilicet esse mortem, hoc est, quod nos perturbat. Nam & mel amarum non est: At ictericus cum amaram ad mel affectionem habeat ob humorem amarū, qui in eo abundat, à melle, perinde ac esset amarum, turbatur. Atq; opus est humorem illum depurgare, ut pro natura qualitates percipiamus. Ita sanè hic opiniones corrigēdæ sunt à nobis regula eius, quod in nobis est, quodq; non est, & proprii & alieni, iudicāda bonum nostrum & malum. Si mors itaq; neq; in nobis est, neq; non est, malum certè non fuerit. Quòd si non est animi malum, sed corporis,

nostrum malum non erit. Plato quidem & Socrates Platonicus uel bonã esse, ac præstantiorem uita cum corpore demonstrat, non uni aut alteri, sed prorsus omnibus. Ait itaq; in Phædone Socrates, Forte tibi mirum uidetur, si hoc inter alia simplex est, nec unquam homini obuenit, uelut alia omnia, quando & pstat mori quàm uiuere. In lib. autem de Legibus ex sua persona Plato id asseuerare contendit, Communio animi & corporis dissolutionis non est melius, ut mea fert sententia, de industria loquẽs. Verùm Epictetus de morte tanquam de re, quæ horrendissima uidetur, demonstrationem struxit. At quoniã quisque nostrum in quãcunque inciderit molestiam, eam uel morte grauiorem putat. Nam plerunq; & si dolor non magnus adfuerit, mortem propte inclamamus. Si pauperes fuerimus, paupertatem morte deteriorem existimamus. Sed possumus in iis eodem demonstrationis modo uti, quo in morte Epictetus usus est. Vehementissimos siquidem dolores ægroti quilibet eligunt, quoties urendos aut secandos se ipsi medicis exponũt, idq; cum mercede. Licet enim ob uitam hoc faciant, mortem peiorem esse existimantes, certè ferri posse sine perturbatione, si utile esse uisum fuerit, ex his perspicuum est. At Lacedæmoniorũ Adolescẽtes solo laudis amore ducti, horrenda illa uerbera ferè perferebãt ad mortem usque, patientiam ac tolerantiam ostentantes: Idq;, ut liquet, iucundè & æquo animo. Non.n. uolentes in eiusmodi certamen descenderent. Verũ ita ad illos dolores affecti erant, non quòd non dolerent, minus quidem fortasse quàm inexperti & delicati: Sed opinionem eam habentes, dolores non horrendos modò, sed honestos ac utiles iis esse, qui ipsos uiriliter & constanter ferrent. Quinetiam paupertas, dicat Epictetus, res formidanda non est. Nam etiam Thebano Crateti horrenda uisa fuisset, qui opes suas urbi donasse atque ita dixisse fertur,

Crates Cratetis deserit pecunias.

Tunc liber esse uisus est, & coronis uelut libertatẽ adeptus, ornabatur, quoniam paupertatem cum opibus cõmutauerat. Ita igitur nihil horũ horrẽdum est natura & intolerãdũ, ut nobis uidetur. Sed interdum contrariis utiliora sunt, ubi ad nos ipsos hoc est ad rationalem animum utilitatem ipsorum retulerimus. Oportet eum, qui eiusmodi rebus turbandus nõ est, opiniones de ipsis rectas hr̃e. Hoc sanè in nobis est: Quare etiã nõ turbari, in nobis est, & magnũ quid cõsequẽtur, q parebũt, ut iis etiam, quæ in nobis nõ sunt, perinde ac in nobis essent, utantur. Nam quãuis ignominia affici, pecuniis defraudari, uerberari, in me non sit: rectam certè de ipsis opinionem habere, ea scilicet horrenda non esse, sed plerunq; utilia, in me positum est. Sufficit autem opinio hæc, ut ipsa fieri non uideantur, aut ubi facta fuerint, horrenda non existimentur, sed aliquando utilia. Vnusquisq; enim, qui rectè sentiat, opinor, pulchrius nobis, hoc est animo esse putarit, in calamitatibus sine perturbatione manere, quàm in eas non incidere, atq; eò pulchrius, quò maiores sunt ærũnæ ac asperiores. Quemadmodũ.n. ex motibus corporis q sunt uehemẽtiores magis exercent corpora, quæ in ipsis durant, tum ad ualetudinem, & ad robur ac celeritatem: Ita quoq; in animi motibus accidit. Quare ubi opus est, quàm fieri potest æquo animo, ac sine perturbatione perferendum est, quod ob duo hæc superat, tum quia rectè de ipsis opinatur, cum etiam quia ad ea præparatus est, & per duriorem corporis educationem, quæ ad omnia idonea est, ob quam permulti etiam improbi homines, uerbera, & quæ nobis dolorem afferre uidentur, despiciũt. Præthereà etiam, ob præmeditationem & præsumptam spem: quæ omnia in nobis sunt. Si itaq; neq; mors, neq; aliquid aliud huiusmodi horrẽdum est, patet neq; ipsa, neq; qui ipsa infligunt, perturbationis nobis auctores esse, sed nosmet nobis, & opiniones nostras. Alium igitur incusare nõ oportet unquã, aut perturbationis nostræ grã, aut doloris, aut timoris, aut alicuius id genus, sed nos ipsos, nostrasq; opiones.

Ratio superioris præcepti, triplicisq; hominum gradus assignatio. Cap. 9.

Ineruditi est alios culpare: cum quid male agat. Eius qui iam cepit erudiri, seipsum: Eruditi,

neque alium, neque seipsum.

Triplicis status expositio. Cap. 23.

Caput hoc cum superiore coniunctum est, & si coniunctionem, enim, haberet, ut ita diceret, Inerudit enim est alios culpare, cum quid male agat, caussam rectè adduxisset, cur alios culpare non oporteat, cum turbamur, aut timemus, aut dolemus, aut deniq; in malo aliquo nos esse arbitramur. Ob imperitiam enim id patimur. Et posteà pulchrè connectit affectioni inerudit circa has res, affectionem & eius qui erudiri incipit, & eius qui eruditus est. Eruditus enim tanquam iuxta naturam uiuens, nec unquam excidens iis, quæ appetit, nec in ea quæ declinat, incurrens, nec in malo aliquo se esse putat, nec quẽquam incusat, tanquam auctorem, ut ipse male agat. Qui uerò erudiri incipit, frustratur quãdoq; iis, quæ appetit, & in ea quæ declinat, incidit, ꝓpterea ꝙ tunc cũ irrõnalibus affectibus agat. Verùm edoctus rerum, quæ in nobis sunt, diuisionem, nouit semet sibi, & frustrationis & lapsus, nec alium quẽquam auctorem esse, ubi in iis, quæ in nobis non sunt, bonum aliquando nostrum, aut malum positum esse cẽsuerit. At cur, dicat quis, qui incipit erudiri, cum cognoscat ipsum bonum & malum nostrum in nobis esse (non enim se ipse culparet, nisi id cognosceret) peccat adeò, ut se ipse culpet? An'ne, quoniam præit quidem cognitio bonorum & malorum, quæ rationis in nobis existentis actus est, non statim tamen in omnibus irrationales quoq; affectus moderati ac recti sunt, nec subiiciuntur rationi: & præsertim ubi ob socordiam ac negligentiam rationis, motumq; partis irrationalis continuũ, neruos sumpserint, atq; imperiũ ipsi affectus. Eiusmodi autẽ animi affectione in Tragœdia laborabat ea, quæ ait,

Scio mehercle quod scelus factura sum,
Meis sed ira est consiliis potentior.

Satis igitur est temporis progressu partim coactam rationem, partim dissentientes affectus, sibi cõsentaneos reddere, cum & rationis cognitio circũspectior, ac perita, & prorsus indubitabilis euaserit. Non iniuria igit', qui erudiri incipiunt, peccant, cum quidã ex affectibus nondum uicti ac ꝓfligati sunt, & ratio nondum ex scientia agit: seipsos culpant, nõ alios, ob qualẽcunq; susceptionem diuisionis eius quod in nobis est, quodúe non est. Qui uerò prorsus imperiti sunt, sæpenumero peccant, tum ob irrationales affectus, qui in ipsis possunt, tum ob rationis inscitiam, cum nondum, quid uerè bonum, quidúe malũ sit, diiudicarint, neque seipsos à parte irrationali reuocarint, ne exili quidẽ cogitatione. Quid dico parte irrationali, cum & nos ipsos & nostram substantiã corpus esse arbitremur: Auari autem, pecunias & opes? Peccamus igitur, cum inerudit simus, ob hæc, cum bonum & malum nostrum in rebus externis collocemus, ac oĩno ignoremus, & quid sit reuera nostrum bonum, malumúe, & unde sit, auctores nobis malorum eẽ existimamus eos, qui uel auferre aliquid eorum, quæ bona nobis & appetenda in rebus externis uidẽtur, uel in ea q̃ à nobis declinantur, nos iniiciunt. Atqui nec bona quæ cẽsent' extrà, neq; mala prorsus eiusmodi sunt, sed contrariam plerunque constitutionem utraque habent. Quare inerudit adolescentes Magistros tanquam malorum ipsis auctores oderunt, eos uerò, qui ad uoluptates alliciũt, perinde ac benemeritos amant. Cõiecturas quidem euidẽtes nobis breuibus Epictetus tradidit, eruditorum, ineruditorum, & eorum qui erudiri incipiũt. Quoniam illi quidẽ cum inculpabiles sint ob rationis perfectionẽ, & ꝑtis irrationalis erga rationem congruentiam ac subiectionem, neminem unquam culpant, tanquam sibi malorum auctorem. Non enim in peculiari ullo malo uersant', nec sua caussa, cum eruditi sint, nec aliorum, quoniam in externis malum non habẽt. Inerudit uerò errãt ob utraq;, & hi male affecti tam ratione quàm parte irrationali, aliisq; suum uitium adscribũt, ceu in externis ipsum uidentes. Est autem facile & iucundum, & ineruditis reuera conueniens, ut suorum erratorum in alios culpam reiiciant. At qui erudiri incipiũt, & salutis initium ha

bent, licet peccent, & in malo aliquo interdum uersentur, sciunt tamē & ubi sit, & unde nascatur malum, quiue ortus ipsorum auctor existat. Quocirca illum culpāt. Porrò nemo, opinor, his iudicandi rationibus utens prudenter, aberrauerit unquam ab exacta horum statuum diiudicatione, tam eruditi, & ineruditi, q̄ eius qui erudiri incipit. Παιδεία enim hoc est eruditio seu institutio propriè est eius pueri, qui in nobis est ab eo magistro, qui in nobis est, emendatio. Ac puer quidem est pars irrōnalis, quæ utile non uidet, sed ad iucundum duntaxat propensa est, ut pueri. Magister autem est ratio, quæ moderatur ac regit irrationales in nobis appetitus, & ad utilitatem ipsos dirigit. Quare ineruditi, cū iuxta pueri appetitum uiuant absq; consideratione, sæpe errant, & cum ipsi ob inconsiderationem labantur, se ipsi non culpant. Qui uerò incipiunt, & magistrum, qui iam aduersatur, habent, & puerum ad obediendum paratum. Quare licet nōnunquam errent, & quis sit qui errat, cognoscunt, illumq; culpant, & non alium quēquam. At eruditi & Magistrum sobrium habent, & qui puerum iam teneat, & puerum iam rectè instructum, & qui suam recuperarit perfectionem, propterea quòd magistro subiectus est, cumq; eo conuenit ac consentit. Hæc enim est pueri uirtus.

Quomodo tractanda quæ de externis uidentur eligenda. Cap. 10.

Ob nullam alienam excellen:iam te efferas. Si equus superbiens dicat, pulcher sum, ferendum esset. Tu uerò cum dicis superbiens, pulchrum habeo equum, memento te ob pulchrum equum superbire. Quid ergo est tuum, præter usum imaginationum? Ergo cum in usu opinionum secundum naturam te habebis, tum uerò superbias: ob aliquod enim bonum tuum superbies.

Alienis bonis non superbiendum. Cap. 24.

Cum docuisset quo pacto fieri possit, ut in extrinsecus accidentibus aduersis, sine perturbatione, timore, ac dolore maneamus: Nunc docet, quomodo in iis, quæ extrà eligēda esse uidentur, uersandum sit, quæ bona aliena appellat iuxta uerba illa initio dicta, quibus asserebat, quæ in nobis nō sunt, imbecilla esse, serua, & quæ prohiberi possunt, atq; aliena. Et inquit, in nullo eorum, quæ externa bona esse uidentur, superbiendum esse, aut se extollendum. Elatio autem in præsentia non leuitatem ac celsitudinem, atq; arrogantiam, ut sæpe in malam partem hoc dicendi modo solemus, (Neq; enim in nostris ac ueris bonis superbiendum esse dixisset) Sed uidetur nunc mihi elatio ipsi significare existimationem incrementi alicuius & honoris in alicuius boni adeptione. Non igitur oportere nos ait alienis bonis crescere, aut in excellentia ulla esse. Quodlibet enim illius est bonum, in quo subsistentiam habet, & quod secundū naturā afficit, non alterius. Bonum igitur quod in equo est, ipsius equi est, non nostrum. Nam siue audax, aut ad cursum uelox, aut habenis parens, uirtutem equi habet, quæ non est nostra uirtus: quare nec bonum nostrum, neq; nos auget, neq; perficit. Quid igitur, dicat aliquis, colorum & instrumētorum uirtus, nónne ad possessores ac utentes refertur, & fabrum ipsum bonū, cum prius non esset, efficiunt? Alia nanque est asciæ uirtus secundum figuram & acumen, alia fabri secundum artem. Verùm ipsa acies & aptitudo asciæ bonum est, sed ad ministerium conducit, & opus quod per ipsam fit, (Ea enim est instrumenti uirtus) non tamen ad fabri perfectionem facit: Nam ille in rationibus artificialibus bonum suum obtinet, et si externū posteà opus deterius succedat ob materiam, uel instrumenta, uel aliud quid, quod impediat. Quid itaq;, inquit, est nostrum bonum, quo ita affectos esse oporteat, tanquam aucti ac perfecti simus?

Prius quidem in primis rectā opinionē dixerat, nunc uerò ipsarū opinionūusum secundum naturam. quod ibi opinionem appellarat, hoc nunc imaginationem uocat. Videntur enim nobis ac existimantur, quæ sunt talia uel talia, quandoq; rectè, quādoq; obliquè ac prauè. Atq; erit is quidem imaginationum secundum naturam usus, ut res nobis, quales sunt, appareant, nec in complexu earum euarient. Bonum quidem incontinentiam, malum uerò continentiam putant. Verissimè autem ac maximè propriè, usus imaginatio-

num quæ naturaliter fiunt, est bonorum appetitus, & malorum declinatio, non cognitio ipsorum duntaxat, quòd hoc bonum sit, illud malũ. Sed apparentis boni appetitus & apparentis mali declinatio, quoniã agere in nostra potestate nõ est, sed appetere secũdũ naturam, & declinare. Num uerò etiam aliud quid subindicat per usum imaginationum secundũ naturam, opera etiã nostra rectis opinionibus & appetitibus consentanea esse oportere, nec solùm putare continentiam bonum esse, sed continentem esse, & opera secundum naturam rectis opinionibus et appetitibus consentanea efficere: Nec iustitiam bonũ esse arbitrari, & obscurè ac parum appetere (propterea quod omne qđ bonum uidetur, appetendum sit) posteà iniustum esse, quod incontinentibus usuuenit: Cũ appetitus rei suauis uincit boni appetitum, & ratio licet obscurè, uidet tamen quid deceat, & aliquatenus pro decoro decertat, appetitibus ac declinationibus rectis illis quidem, sed obscuris ac imbecillis commotis: Irrationalibus autem affectibus illic detinentibus ac retrahentibus, & quæ sibi appetenda sunt, exequi cogentibus, quod iam paulò ante dixi in Tragœdia illis uerbis indicari,

Scio mehercle quod scelus factura sum,
Meis sed ira est consiliis potentior.

Oportet itaq; non opinari solùm rectè, & appetere ac declinare pleraq;, sed & opera rectis opinionibus consona facere, & his, uelut est imaginationum secundum naturam usus, uti, qđ bonum nostrũ putare oportet, & nihil externum, uelut fabri bonum opus est, quã faber est, actio secundum rationes artificialeis, alia in animi conceptibus, alia etiam extrinsecus in functionibus.

Quæ nobis ex externis concedantur, quoq; iis pacto sit utendum per similitudinem. Cap. 11.

Quemadmodum in nauigatione, ubi in portum est uentum, si exeas aquatum, incidit ut cochleas in itinere, aut bulbulos colligas: animum tamen ad nauigium intentum habere conuenit, & sæpe respicere, an gubernator uocet: Et si uocet omnia illa abijcere, ne uinctus eò conijciaris instar pecudũ. Sic in uita si pro bulbulo aut cochleola, uxorcula nobis, aut filiolus præbeatur, nihil sit prohibendum: Si autem gubernator uocet, curre ad nauigium relinquens hæc, neq; respiciens: Si autem sis senex, nunquam procul à nauigio discede, ne forte uocatus desis, inq; id uinctus conijciaris.

Externis per transitum fruendum. Cap. 15.

Compendiosè simul ac diligenter cum nos ab externis apparẽtibus bonis retraxisset ac reuellisset, quòd ostenderit ea omnia esse aliena, nec ullum eorum nostrum esse bonum: nequis putet etiam à connubiis, ac filiorum susceptione, omniq; possessione ac participatione prohibere nos penitus, tradit deinceps ac præcipit, quibus & quomodo illis fruendum sit: opus scilicet esse omnia curæ Dei comittere, qui uniuersa gubernat ac regit, & cum illo coniunctum his compositè potiri. Primò quidem iis, quæ necessaria sunt in uita, & sine quibus uiuere non possumus, quæ ipse per aquandi uerbum expressit, cibum, ac uestes, domiciliumq; significãs, qualia & quæ simpliciter & incuriosè uiuentibus satis sunt. His itaq; aliquã secunda quadam ratione operam dandam esse. Quæ uerò non necessaria, utilia tamen ad uitam, ut uxor, liberi, possessio, & alia eiusmodi itineris transitum esse ait, & tertia ratione data à Deo, accipere oportet, ubi in tempore data sint, atq; hæc quidem ad præcipuum expetendũ. luxus autẽ ac diuitias, principatusq;, atq; alias huiusmodi res supuacuas & alienas, ut quæ cum uita secundum naturam conuenire non possint, ne per transennam quidẽ admittere concedit. Hæc enim sunt, quæ prius penitus omittenda esse aiebat. Nuptias uerò, ac filiorum susceptionem, & alia eiusmodi iis qui nuper erudiri incipiunt, in præsens differenda esse consulebat, ut firmamentum eruditionis exordium capiat. Qui uerò iam aliquatenus profecerunt, ita ut his securè uti possint, iis per uiæ transennam harum rerum potiri permittit. Videtur porrò mihi ualdè accommodatè ac propriè fictum exemplum attulisse. Nam Mare ipm, ob imẽsum põdus, ac fluctus, uicissitudinesq; omnigenas.

nigenas,& quia suffocat qui in id submergunt ab ortu reduces, prisci illi fabularum repertores Poetae, ortus notam ac signum esse dixerunt. Nauigium uerò id erit, quod animos ad ortum trāsuehit, siue Parcam, siue Fatum, siue aliud quid, hoc uocare oporteat. Nauigii porrò gubernator fuerit Deus, qui ipsum uniuersum, & animorum ad generationem descensum suis ipsorum prouidētiis pro decoro ac dignitate regit ac gubernat. Appulsio nauis ad conuenientem locum, & nationem ac genus, deductio est animorū, iuxta quā alii in hoc loco, hac natione, hoc genere, & his gignuntur parentibus: Alii aliis. Egressio ad aquationem, studium est ac cura circa res uitae necessarias, sine quibus uiuere est īpossibile. Quid enim aqua iis, quae gignuntur, ad alimentum ac potum magis necessarium? Viae autem transitum, cochleolas legere, aut bulbulos: Et ipse quoque consentaneè declarauit, uxorem uidelicet ac possessionem, aliaq; id genus à Deo elargita, accipiēda quidem, non tamen ut praecipuè bona, nec ut nostra bona. Praecipuum enim est, propensio ac cura ad gubernatorē conuersa. Sed non ut circa res necessarias in his ponendum studium, ut circa aquationem, sed tanquam superflua, & obiter uitae utilia haec accipienda esse. Quòd si gubernator ad Nauigium acciuerit hinc ad seipsum, & nos & ad ueram patriam, unde uenimus: Curre, ait, ad nauigium, omnibus his quae ad generationem attinent, abiectis, sequens uocantem, nec respiciens prorsus, ne si naturaliter solutus fueris ex uoluntate, hic maneas. Nisi enim, inquit, uolens ac promptus sequaris, rebus quae hic sunt omnibus relictis, uinctus in nauim coniicieris, ut pecudes, hoc est inuitus ac deflens te ipsum & praesenteis, uitam hanc deseres, uelut stulti ac brutis similes homines. Qui uerò per uiae transitum connubium aut liberorum susceptionem & similia attingat, opportunè attingere opus est, ut modica satietate capta, liberè hinc abeas, & uocanti gubernatori promptē obedias. Si uerò senex ac prope finem iam fueris, nullo harum rerum ligeris uinculo, attamen totus ad receptum intentus sis, & abitum ab his locis, ne reditus tempore ingruente uocatus, retrò onustus uinculis reperiaris, nouam deflens sponsam, filiosq; adhuc infantes. Cum praesertim seni maior abitionis ab his locis, quàm firmae sedis ac quietis cura sit agenda.

Quo pacto sine perturbatione & noxia externis acquiescere possimus. Cap. 11.

Ne uelis, quae fiunt, fieri, ut uelis: Sed uelis, quae fiunt, ut fiunt, & prosper eris.

Iis quae à Deo contingunt contentos nos esse debere. Cap. 26.

Cum narrasset, & quae oporteat è rebus externis assumere, necessaria scilicet necessariò, alia uerò obiter: neutra tamen ex proposito ac praecipuo scopo, & per haec cum rerum externarum usum concessisset: modum deinde tradit, quo & innoxiè & sine perturbatione ac iucundè rebus externis uti possimus. Caeterùm necesse est, si modo sine molestia & rerum, q̄ accidāt, tristitia uicturi simus, aut Deum oīa semp, q̄ nobis placeāt, facere: aut nos iis, quae nobis à Deo tribuuntur, esse contentos. Nam aliter prosperi esse non possumus. At Deum cogere, ut ea, quae nobis placeant, faciat, tū nobis impossibile est, tum etiā undequaq; inutile. Multa enim nobis placent, quae inutilia nobis sunt, aut ob naturae eorum ignorationem, aut quòd nos quandoq; irrationalibus assentiamur cupiditatibus. Necessarium itaq; est, si prosperi futuri simus, nos ipsos ita afficere ac comparare, ut iis, quae nobis à Deo donantur, contenti simus.

Dubitatio, utrum quae fiunt, ita ut fiunt, fieri uelle debeamus. Cap. 27.

Sed durum forsitan atq; asperum nonnullis praeceptum esse uidebitur, ut quae fiūt, ita ut fiunt, fieri uelimus. Quis enim adeò insipiens ac stultus est, ut communia etiam mala quae à Deo cōtingunt, ita fieri uelit, ut motus terrae, diluuia, incendia pestilentias, fames, pernices uniuersarum animantium, & fructuum: Aut ea, quae homines impiè alii in alios perpetrant: Vrbium direptiones, captiuitates, caedes iniustas, depraedationes, raptiones, incontinentiam, tyrannicam uiolentiam, quae ad impietatem usq; adigit: Eruditionis

præterea ac philosophiæ iacturam, uirtutisq; uniuersæ, amicitiæ, mutuæ fidei, omnium artium, ac scientiarum, quæ per multa secula inuentæ sunt ac confirmatæ, ut deleantur penitus, solaq; ipsorum nomina in hominum memoria remaneant: Artes uerò permultæ, quas nobis Deus ad uitæ opem elargitus est, uelut medicinam, redemptoriã, ac fabrilem, & similes alias, umbræ duntaxat ac imagines reliquæ sint? Hæc igitur & eiusmodi alia in uita nostra abundantia, quis audire uelit, ne dum & uidere & experiri ipsa, eaq; fieri uelle, nisi si maleuolus quis, aut honestatis osor fuerit. Eiusmodi itaq; dubitationes, quæ non uulgares modò, sed uel peritiores perturbãt, diluendæ ac soluẽdæ sunt, ut Epicteti oratio uera ac recta, & opificis Dei administratio inculpabilis appareat. Vbi enim utilitas est, ibi pietatem quoq; ponimus, quemadmodum paulò inferius docebit nos Epictetus.
Dico itaq;, si reuera mala sunt hæc, quæ fiunt, quæ declamauit ille dubitationis auctor, taliaq; mala, qualia nobis uidentur, certè nec homo ille, qui malis gaudet, bonus fuerit: nec eum, qui has res gubernat, non auctorem esse malorum procedit: nec qui eum malorum auctorem existiment, obseruare aut amare, aut colere, licet infinita accepta ei feramus cõmoda. Omne enim animal, ut ipse dicet, noxia & caussas ipsorum, fugit atque auersatur, utilia uerò & caussas ipsorum sectatur ac suspicit. Quòd si apparuerit, hæc quæ fiunt, mala non esse, ut nos censemus, sed potius bona, cum ad magna bona conferant, eorumq; caussa fiant: Et si quod sit penitus malum in iis, quæ fiũt, id non nisi in cupiditatibus conatibusq; nostris esse; Certè nec qui uult ea, quæ fiunt, ita fieri ut fiunt, malus est: nec qui has res gubernat, mali auctor est, ut constabit. Ea igitur, in quibus sunt quæ mala uidentur, quæ in generationis ac corruptionis loco existũt, partim corpora sunt, partim animæ: quarum aliæ irrationales corporibus congenitæ sunt, nec ferè quicquam ab ipsis corporibus seiunctũ habent, sed uitæ dũtaxat ipsorum sunt, & iuxta illa, & cum illis ciẽtur. Rationales uerò aliæ, quæ suo cientur motu, à corporibusq; seiũctæ, & propositi conatusq; sunt compotes. At corpora, cum ab alio prorsus moueantur, substantiamq; uniuersam extrinsecus habeant, præcipuè à cœli motibus, & gignuntur & abolentur, uicibusq; diuersis euariant: proximè uerò ac materialius à se ipsa. Nam id consequens est, ut ab æternis ea, quæ gignuntur, propriè subsistãt, ab iisq; quæ per se mouent, quæ aliunde mouentur, & à cõplectentibus cõplexa. Atq; is ordo est ac iustitia Vniuersi, ut hæc illa sequantur, cũ in se principium non habeant motus, uel cum electione ac conatu priuata sint, cum ne suæ quidem dignitatis discrimen ex proposito habeant, sed cum caussis iunctam, uelut umbræ corporum non ex proposito huc uel illuc uertantur & afficiantur, sed caussarum statum sequantur, eadem semper dignitate præditæ. Quin nec ipsis corporibus, quæ transmutantur, mala est illa mutatio, neq; compositis, neq; simplicibus. Primo, quoniam ea est ipsorum natura, & ut aliter habeant, fieri non potest. Siquidem neq; animis rationalibus mala esset ignorantia, ac uita secundum irrationales appetitus, nisi natura ad cognoscendam ueritatem, atq; irrationalibus cupiditatibus imperandum, easq; superandas essent idonei. Præterea, quoniam composita, cum ex contrariis constent inuicemq; pugnantibus, in alienisq; locis existentibus, ac se excedentibus, per morbos quãdoq;, si quæ in ipsis corrupta sunt, excernãt, conualescunt: quandoq; uerò si ad corruptionem tendant, labore ac molestiis, & contrariorum excessu, qui in ipsis est, liberantur. Vnumquodq; uerò simplicium, quæ in eis insunt, eidem toti redditur ad renouationem ac confirmationem imbecillitatis, quæ à contrariis in ipsis facta est. Quodlibet enim ipsorum agens aliquid in contrarium, penitus quoq; ex altera parte patitur ab ipso. Cum uerò simplicia inuicem mutantur ex contrariarum qualitatum mutationibus, fit rursum id, quod prius dixi. Aqua enim in aërem mutatur, à quo prius facta est: Aër quoq; in ignẽ, è quo factus est. Nihil itaq;, puto, in his malum est, & si diluuia, incendia, subitasq; mutationes efficiant, ob contrariam inæqualitatem elementorum, quæ in uniuerso sunt: licet fames, aut motus terræ

composita

compositā corpora dissoluant. At si hæc conducunt propter infinitam reuolutionem rei genitæ, propterea quòd alterius corruptio, alterius generatio sit, qui mala esse potest partis abolitio, si toti conferat? Nam in particularibus quoq; animalibus natura partem despicere ob totū conspicitur, quoties fluxus à principibus corporis partibus, corde, uentre, hepate, ac cerebro ad imos pedes transmittit, & manus, & ad cutem per pustulas ac lichenes & alia similia depellit: Abscessus item corrumpentes in particulis ob totius salutem corporis efficit. Præterea ars medica naturæ æmula abscessus putrefacit, secat, urit, producit, & incidit parteis ob totum corpus. Nullus tamen hæc tanquàm male facta dānat. Quoniam si suapte natura constarent corpora, & nullo pacto quicquam quod circa ea eueniret, ad humanos animos referretur, nullum, opinor, ex malis, quæ ex mutationibus fiunt, ipsorum esse censeretur. At quoniam & animæ nobis sunt in corporibus, irrationales quidem congenitæ corporibus ac ipsis uitam præstantes, & in illis cumq; illis substantiam habentes & uim & actionē: Rationales uerò, & seiunctæ naturaliter à corporibus, ac separabiles ab ipsis sunt: suo præterea cientur motu, ac propositum habent, compoteśq; conatus atq; appetitus, ut superius demonstratum est. Irrationales igitur, cum ne uestigium quidem sui motus retineant, nec appetitum intus, aut motionem quālibet, sed prorsus corporibus uitam præstent, certè substantiā quoq; & dignitatē cum corporibus habent à fato prouenientem, iuxta illa tamen ac cum illis constitutam, ac pro eorum motibus affectam, ceu de umbris dictum est. Si uerò hoc plantarum uitæ magis conuenit, quòd fixa sunt, ac sensu priuata, motuq;, quæ cum appetitu & conatu animi iuncta sunt: Irrationalia autem animalia, & hoc consequuta sunt, par est irrationalium animas, cum mediæ sint inter animalia, quæ corporibus annexa ac fixa sunt, & inter ea, quæ à corporibus penitus absoluta sunt, à seq; mouentur, aliquod appetitus habere uestigium, & conatus, quod ab ipsis intus excitetur: Et quandoque pro formæ natura moueatur, ut Leo æqualem ac parē speciei iracundiam habet: Quādoq; exuperet, aut deficiat. & idcirco dignitates obtinent dissimiles, uitam idētidē maximè diuersam præter eam, quæ iuxta fatum est, affectionem, quam uelut aliunde motam habent. Oportet enim quæ media aliquorum sunt, utrinq; cum extremis communicare. Animus sanè rationalis, cum per se moueatur, & appetitus omninò sit compos conatusq;, dignitatem quoq; habet erga propositū: Cum uerò corpore utatur, affectus eius ad se relatos habet. Verùm quoties secundū naturam uiuens corpore tanquā instrumento, utitur, ab ipso seiuncta, ac eminēs: tunc corporis iacturæ actiones, quæ per ipsum efficiuntur, in ipso animo impedit, nullum tamen malum communicant. Nam dolere, nihil aliud esse, q̄ intra crus manere, diuinus Socrates dicere solebat. Quoties uerò corpus plus æquo familiare fuerit, non amplius ut instrumētum, sed ut partem sui complectens, aut ut seipsum potius, tunc cum ipso & per ipsum affectus, ac rationi repugnans, & iræ cupiditatisq; appetitus, suos esse putās, ipsisq; ministrans, ac molitiones subiiciens ob expetitorum adeptionem, uitiatur undequaq;, ac laborat morbo animi, medicinaq; indiget, ut ipso liberetur. At contraria contrariis curantur. Et opus est appetitū per uoluptatem ac oblectationem animi uitiatum, ob affectum erga corpora ac pecunias, honorem, ac principatum, aliaq; eiusmodi, dolore frustrationis ac repulsæ harum rerum, multari ac curari: Idq; in corporis affectibus præcipuè. Nam hoc ipsi propinquius est, & dolores qui in ipso, ac cum ipso fiunt, magis sentiuntur. Nam animus, cum à præstantioribus abscesserit, & à seipso seq; totum corpori dediderit rebusq; externis, & illa se esse existimarit, ac suum bonum in illis quærit, & in hoc ægrotarit ac uitiatus fuerit, quo alio pacto hæc damnare momentumq; ipsarum poterat, & ipsa contemnere, & ad se reuerti atq; ad meliora, & in his bonum quærere, nisi præter noxium ac triste, hæc expertus fuerit? Cum enim ob uoluptatem in ipsa feratur, tanquam hanc in his & cum his adipiscens, donec hanc cōsecutus fuerit in ipsis, affixus ipsis est ac insertus. Nullus enim cla-

uus æquè firmus est ad connectendum ac conglutinandum animum, ac uoluptas, eiusq; esca. Bonus itaq; Medicus, molestias illas, ad quas tendit, ipsi offerens, ut ea auersetur facit. Quemadmodum mulieres, quæ pueros à lacte abducere uolunt, aliquo amaro mammas illinunt. Atq; principio quidem animi tanquam duo mala eligentes, præ corporis dolore, ac uitæ incertis casibus mortem eligunt, secessumq; à corpore. Quod nunquã accidisset, si circa corpus feliciter ac prosperè agerent. Assuescũt tamẽ odisse & auersari hasce uoluptates, maioris ac multiplicis doloris timore, qui hinc excitatur. Vt pueri initio ꝑpter metum noxia declinant. Est præterea, qui cum cibo aliquo aut potu noxio delectatus sit, dolorem sæpe ac tristitiam uehementem ex ipso expertus, formidans, ne ea incurrat, abstinet. At quisnã sine dolore rebus suauibus fruens, licet noxia sint reuera, ipsa auersetur? Abstinere uerò à suauibus metu maioris doloris, nõ est liberatio affectus, sed mutatio. Sua uitatem enim indolẽtiæ cum fruitionis iucunditate cõmutamus, postquàm alius affectus alium excepit affectum. Nisi quòd conducit id nobis, qui puerіliter ac stultè animati sumus, ut ea contemnamus, quibus ualdè consentimus. Et posteà ubi naturam eorum nouerimus, quòd præter damnum, dolorem quoq; uoluptate maiorem habeãt, & ad nos ipsos respicientes, atq; in nobis ipsis bonum eẽ inuenientes, non autẽ in corpore, aut in externis. Atqui cum nostram ad melius similitudinem senserimus, eam obseruantes, non timore amplius, sed scientia ac uirtute uitam secundum naturam eligimus. Nam & pueri, quæ prius declinabant aut agebant ob timorem, ea ubi mentis compotes fuerint, ex electione faciunt. Atq; is est scopus Deo qui nos curat, ne rationalis animus nimium affixus sit corporibus & rebus externis, nec formidine sed electione ipsis abstineat, ut quæ in electione ac declinatiõe boni nostri & mali posita sint. Atq; in id finem medicina Prouidentiæ dirigit, ut animum ad uitæ secũdum naturam electionem reducat: Velut medici præstãtissimi per sectiones, ustiones, & alia id genus, habitum secundum naturam corporibus comparant, ut actiones naturales præstent. Iustitia quippe improbitatis medicina est: atq; hunc usum habent ea, quæ circa nos mala esse uidentur, uelut medicos ægrè ferimus, si sectiones, aut usturas, aut alias asperas curationes adhibeant. Quocirca his tristantur qui pueriles sunt ac stulti. Et quicunq; tentarit in euentibus & sibi cõsentire & aliis, & animi affectus inspexerit, facile, opinor, fatebitur has molestias imperium animo præbere & corporis & rerum externarum: aut, ut uir admirabilis diceret, eorum quæ non sunt in nobis, contemptum. Ac uelut corporum medicina, alteram partem habent curandi, quæ ægrota corpora per contraria ualetudini restituit: alterã conseruãdæ ualetudinis, quæ uiuendi ratione ac exercitiis firmius & perfectius ualere facit. Sunt porrò quædã exercitia laboriosa, & solis uirilibus ac tolerantissimis ferenda. Ita quoq; animorum curator & adiutor, non ægrotanteis solum curat per uitæ molestias, sed sanos quoq; ac ualenteis exercet, sanioresq; ac robustiores reddit, & uirtutem ipsorum illustriorem aliis ad imitandum proponit. Nam egere exercitationibus bonos hominum animos, uelut ualida ac firma corpora, constat. Motus enim corroborat, ignauia tabefacit, inquit Hippocrates. At cur? Quoniam profectò quæ semper suam perfectionem obtinent, naturalesq; actiones perficiunt, promptas semper atq; expeditas actiones habent: Quæ uerò nihil agunt, exercitatione opus habent, ad cõtinui motus imitationem, ne initio actionis oblita, ac tanquã mortua, tempore usum postulante deficiant. Quod enim modò agit, modò cessat, id propter hebetudinẽ patiens, refectione per actiones indiget. Omnis uerò exercitatio per eadem absoluit, per quæ præcipua quoq; actio, ad quã exercemur. Exercitatio itaq; ad luctam ex continuo luctandi usu acquiritur, & exercitatio ad pugilatũ ex assidua pugilationis cõsuetudine ac uerberũ cõparatur. Ita quoq; ea, quæ ad bellũ spectãt, quoniã hostes imitentᷣ, qui hũc ludũ unà exercent. Ac quo magis qui exercentᷣ magni sunt & robusti, eò magis exercitatio scopũ suũ attingit. Quare si quis ad uoluptatẽ exerceatᷣ ad superãdas uolupta-

tem, necesse est ubi suauia attingat, ut ea cōtēnere assuescat: Si ad tristitiā itē, ut tristia participet: Si ad timorē, ut se in aliquot horrēda iniiciat: Si ad dolores, ut certamē p flagella ac uerbera Lacedæmoniorum adolescentū generosorū æmuletur, & oīa quæ ad certamen illud exercitia pertinenr, licet aspera atq; ærūnosa sint: Aut nostræ ætatis Sallustium, qui accensum carbonem nudo femori imponebat, flatuq; ignem excitabat, & de se periculum faciebat, quousq; tolerare posset. Nihil enim differunt specie ipsa exercitia à præcipuis actionibus, nisi hoc tantum, quòd leuiora quodāmodo sunt, & quoniam in nobis est, quoties libitum fuerit, desinere. Quoniam igitur Deus ille, qui animos humanos ad generationem demittit, facultates ipsis tribuit, quibus & innoxiè uti iis, quæ gignunt, & adescāt, ac terrent, eaq; superare possent: Has igitur facultates Deus exercens, ne nihil agentes laxiores atq; hebetiores redderentur, & petente interim tempore eorum usum, deficerent, labores ac certamina plerunq; animis proponit. Nec profectò Hercules, aut Theseus, aut Diogenes, aut Socrates tales ac tanti fuissent: nec humanæ uirtutis magnitudo eousq; effulsisset, quò demum progredi potest, nisi priores illos ad horrendas feras debellandas, hominesq; sceleratos plectendos lacessisset: Hos uerò ad summā frugalitatem, ac uitam naturæ obsequentem impulisset. Nam hoc omnibus, qui diligentius rem inspicere uelint, ut arbitror, constat, eos qui se in rebus aduersis rectè gerunt, uiriliores ac tolerantiores posteà euadere. Si enim inscitiam rerū horrendarū consuetudo pro ludicro esse facit, ut uel exigui lucelli gratia eam nonnulli optent, nónne in medioribus ita nos consuetudo cōparabit, ut ea contēnamus, quæ inexercitatis aspera esse uidentur? Siue igitur tanquàm curationem ægrotātium, siue ut sanorum exercitationes, animis adhibet: hæc quæ aspera & laboriosa uidentur, ipsis mala non erunt. Alioquin etiā corporibus curationes & exercitia cum laboriosa sint, mala esse diceremus. At cum pro dignitate penitus naturæ ac propositi fiant, mala esse non possunt. Quod enim pro dignitate fit, iustum est: Quod uerò iustum est, bonum est. Quinetiam nec corporibus, quā corpora sensu carentia suapte natura sunt, secari, uel uri malum est. Nam resolutio in simplicia, haud est mala ipsi composito. Si igitur corporum medicinam exercentem, urentem, producentem, ac parteis resecantem, & idem ferè, quod homines qui seuerè puniunt, agentem, malam esse negamus, uel bonam potius fatemur, gratiamq; ac mercedem medentibus persoluimus: Cur nam Dei medicinam nō amamus? Neq; enim ira aut ultione ductus, nec præter dignitatē, nec nocendi caussa, quicq horū Deus agit: Sed ad medici modū, curatoris, & patris, & ob maximam utilitatem: Ac dicere sat est, pro diuina bonitate. Sed multiplex ac uaria est Dei medicina. Nā alios morbis, aut paupertate, aut ignominiis: Alios fame, motibus terræ, inundationibus, naufragiis, & humanis suppliciis curat. Non igitur mala hæc sunt, sed bona, si modo mederi bonum est. Quòd si quis hæc bona uocanda esse neget, quoniam non sint præcipuè eligenda, cuiusmodi quæ uerè ac propriè bona sunt, esse oportet, ne statim ea mala appellet, sed necessaria ad ueri boni acquisitionem: Ad quam his necessariò habentes opus, ipsa ob illam eligimus. Siquidem sectiones, & usturas medicas, & cætera eiusmodi, nemo pcipuè eligit, sed consequendæ ualetudinis gratia ea eligimus, quā per hæc adipisci necessarium est. Ac rectè mehercle uiri sapiētes hæc Necessaria nominarūt, quæ omnia præsumpta esse oportet, si modo Bonum ipsum apparere debeat. Bona igitur sunt, quando ad bonum conducunt, alia ad corporis bonam ualetudinem, alia ad animi sanitatem: subiiciuntur autem præcipuis bonis, ad quæ cum ipsa uulgus comparat, mala esse arbitratur, male, ut arbitror, de his sentiens, cum per hæc summum bonum cōsequi, puto, necesse sit. Si itaq; & ea, quæ à dubitante proponebantur, soluta ac explicata sunt, & omnia, quæ fiunt, pro dignitate fiunt, partim naturæ, partim electionis, atq; utilitatis gratia à Deo efficiuntur, certè quilibet rectè sentiens, ita fieri uolet ea, quæ fiunt, ut fiunt: si non inuidet iusta agentibus & medentibus, & talem medicum colit, atque obseruat,

amatq; legitimè, ac benemeritũ esse statuit. At certè euenta hæc molesta hominibus medicinas esse: & medelam egentibus admouere, & animo & corpori, bonum esse, forte aliquis concesserit, ut arbitror. Aegrotare uerò & corpore & animo, & eiusmodi medicina laboriosa ac tristi opus habere, id quísnam bonum, ac non potius malum, & auctorem eius mali non putabit auctorem? An'ne iterum eadem repetenda sunt? Corporis scilicet morbũ, nec ipsi corpori malum esse, cum eiusmodi sit præditum natura, & ad dissolutionem compositi, ac restitutionem simplicium in suas integritates, liberationemq; ab ipsis, ac libertatem spectet, ne amplius alieno in loco, oppositorumq; pugna uersetur. Quinetiam nec animo malum est corporis morbus, cum medicinam animi esse ostensum sit, ac plerunq; ipsi euidenter apparet. Ac licet particulari corpori damnosus noxiusq; esset morbus, et pernicies, abolitioq; ipsius, utilis autem & animo utentis esse uideretur, & uniuersi cõstitutioni elementorum, quæ in eo sunt, ac infinito generationis orbi, qui idcirco in infinitum abit, quòd interitũ alterius, alterius ortus excipiat: optimus certè gubernator rei caducæ ac fluxæ Natura, particularis, ac deterioris abolitionẽ contẽneret, ob p̃stantiam, ĩtegritatẽ, in exhaustãq; generatiõis naturã. At animi generatio (obiiciat fortè aliq̃s) neq; ipsius animi ægrotãtis bonum est, nec ad totum quicquã cõducit, ita ut caussa eius, mali alicuius caussa sit: Et quicunq; eum uitiari ac ægrotare uelit, malus erit. Atq; ita dubitatio eadem remanere uidebitur. Quæ'nam itaq; morbi caussa existat at uitiositatis in animo, ex prioribus, de iis quæ in nobis sunt, quæq; non sunt, explicata sunt, in memoriam reuocemus: Bonũ uidelicet animi in eo uersari, ut secundum naturam appetat, ac declinet: Malum uerò, ut præter naturam. Appetitum autem ac declinationem ostensum est, opinor, esse in nobis. Quare nobis nos auctores tam uirtutis quàm uitii sumus. Quocirca commendantur studiosi, tanquam bonum ex propria electione habeant, quod propterea Virtus appellatur: At improbi uituperandi sunt ac culpandi, quòd cum in ipsis positum sit, ne tales sint, pp ignauiam ac secordiam praui euaserunt. Quoniam si hæc extrinsecus aduenirent, haud amplius propositum bonum esset aut malum, sed fortuna quædam, ac necessitas. Deus igitur hic quoq; nullius improbitatis est auctor. An fortasse nec animi quoq; morbus, quod Vitium dicitur, simpliciter malũ est, sed aliquid necessarium habet, ad humanæ uirtutis subsistentiam? Velut enim sanitas corporum, quæ in hoc orbe sunt, non esset sanitas, nisi etiã magis ægrotare hæc corpora sua natura possent, sed esset affectio q̃dam syncera, ac contrarietate carens aduersus morbum, qualis est cœlestium corporum: Ita humanorum quoque animorum uirtutes, continentia, iustitia, prudentiaq;, ac totus earum cœtus non esset, nisi uitiis infici animi possent: Sed uirtutes quasdam angelicas atq; diuinas haberẽt, non humanas. Hæ enim eius naturæ sunt ut ad uitium deflectere possint. Si itaq; bonæ sunt & humanæ uirtutes, & corporis ualetudo, & oportebat non prima tantùm aut incorrupta bona, sed & media, & extrema à Boni fonte demanare, necesse cẽt ut bonorum, quæ inuertuntur, inuersiones non subsisterent: neq; enim præcipuam subsistentiam habent, sed iuxta res subsistunt. Ac uide quã immensa sit diuina Bonitas, quòd corporum corruptionem, licet umbræ modo, ut dixi, cum motu caussarum circũagantur, bona tamen esse fecit tam ægrotantibus ac pereuntibus corporibus per resolutionem in integra elementa, ac renouationem: quàm animis utẽtibus, qui per ipsa curantur: uniuerso item generabili ad infinitam, ut diximus, distributionem. Ab animi uerò uitio, quod solum utcũq; uitium esse uidetur, se ipse exemit. Primò quidem id tãquam necessarium ad summum Bonum, nec tanquam malum sit, concedet cum rebus iunctum esse. Præterea etiam idipsum animi uoluntati penitus parere iussit, nec unquam ad ullam rem transgredi illo renuente. Quare inuitis, tanquam mala non sint, & à Deo & à legibus uenia condonatur. Animo autem inuitum est quodammodo ipsum malum. Nunquam enim malum tanquam malum animus eligit, sed ceu bonorum quorũdam cupiditate impulsus, modò

pecuniarum, modò corporis oblectationis, aut principatus, aut honoris: Quòd uerò in his noxium est, aut prorsus nõ uidet, aut præcipitatur rerum, quas amat, appetitu coactus. Ita undecũq; uerè malum ex rebus expulsum ac fugatum est. Ac potius nihil prorsus erit, si perfectio atq; libertas in humano animo insita sit. Quòd siquis Deum mali auctorem esse existimat, quod sui iuris animũ produxerit, cuius frustratio malum est. Si animi substantia, quæ per se mouetur, ac sui iuris est, malum est, certè mali auctor uocandus est, qui hanc produxerit. Si uerò bonum est, & multis, quæ in mundo sunt, bonum maius atque honorificentius, quomodo mali auctor esse poterit, qui bonum procreauerit? Quoniam itaq; quod secundum naturam est, eligendum est atq; expetendum, quísnam ex hominibus, aut qui humanæ uirtutis conscius sit, planta esse mallet, aut quodcunq; ex brutis ac mutis animantibus, q̃ hõ? Atq & plantæ & irrõnalia aĩalia bona esse dicimus in serie quadã ac gradu boni, ac mutua cupiditate & affectatiõe à definitis. Qđ' si in nobis est ut boni simus aut mali, etiam id in nostra potestate positum est, nec quicquã nostram aut cogere aut prohibere electionem potest, & declinationem. Hæc certè substantia ac facultas libera, reuerenda mihi, ac magnifica, princepsq; eẽ uidet'? Et qui hanc produxit, bonus ac potens est. At si ipsa quãdoq; ob seipsam deflectat, cũ etiam ut non deflectatur in ea sit, quísnam alius deflexionis auctor esse dicatur? Non immeritò cum animus ipse caput quiddam sit ac caussa boni, ac deflexionis ab ipso, ab ipso quoq; initium sumit deflexio. Caussa enim quæ ipsum produxit, non ut deflecteret penitus procreauit, sed si modo ipse uelit, ut stabilis maneat ac constans. Si igitur uoluntas ipsius est, quæ est internus animi motus: ipsa igitur sibi deflexionis caussa. Ac intuere Dei artem mirandam. Nam quoniam oportebat inter ea, quæ semper suprà manent, & quæ semper infrà iacent, interseri media, quæ quandoq; supremis, quandoq; infimis similia forent, atq; extrema coniungerent, ac connecterent ad uniuersi perfectionem: Cumq; momentum ad inferna adiunctam uim inuertẽtem habeat, hoc mediis elargitus est, ut possent absq; deflexione constantia manere, si uelint, & ipse undiq; nullius uitii ac mali auctor esset. Verùm hæc longius producta ac protracta oratione, non solùm ad ea, quæ nũc Epictetus præcipit, accommodantur, sed sermoni quoq;, quẽ de mali abscessu paulò infrà habebit, adaptari possunt. Nam ad præsens quidem, quod tradit Epictetus, satis dictum est. At cum ait, Velis quæ fiunt, ita ut fiunt, fieri, nõ de animi uitio intelligit. Haud enim prosperos esse eos dixisset, qui & suo & aliorum uitio gauderent: Sed de iis, quæ circa corpus atq; externa euenire solent, quibus eruditus, qualia q̃lia fuerint, rectè uti põt: Et quãtò fuerint aspiora, tantò maiorem ex eis utilitatem capere. Nam illa sunt: quæ fiunt, quæ si simus ineruditi, quærimus nostris cupiditatibus ac declinationibus obtemperare. At non appetitus ipsi & declinationes, in quibus bonum nostrum & malũ uersatur. Hæc enim in nobis sunt, ut uolumus. Quæ uerò in nobis non sunt, ne quæramus ita fieri, ut uolumus consulit, quando ea in nostra facultate non sunt, nec semper utiliter quærimus, cum suauia quanuis noxia sint, quæramus: duriora autem, quãuis uelut medicinæ adhibeantur, renuamus.

Morbus corporis est impedimentum, Propositi uerò minimè, nisi ipsum uelit. Claudicatio cruris impedimentum est, propositi uerò minimè. Atq; hoc in quocunq; incidentium considera: Inueniesq; id alterius esse impedimentum, non tuum.

Corporis mala non officere animo. Cap. 28.

Postquàm narrauit eum, qui prosper esse uelit, non oportere quærere quæ fiunt, fieri ut uult, sed fieri uelle, ut fiunt, his simul propositum demonstrat, æquo animo ferenda esse, quæ ab externis rebus accidunt incommoda. Simul quoq; cõtrouersiã quandam, ut puto, soluit. Ac demonstratio quidem huiusmodi esse uidetur, Si nostra essent, quæ à rebus externis eueniunt incommoda, oporteret tamen, si utilia essent nõ molestè ferre, etsi asperiora essent: Si uerò non sunt nostra, sed singula alterius sunt, quid ægrè ferimus alienas mo

lestias? Morbus corporis impedimentum est. Pulchrè impedimentum appellauit, non malum. Non enim corpori morbus aut abolitio malum est, ut suprà demonstrauimus, sed actionũ eius impedimentum: Ita claudicatio, qua ipse laborabat Epictetus. quare è uita, non è lingua solùm loquitur. Claudicatio igitur cruris est impedimentum, & paupertas sumptuum, propositi uerò minimè, nisi si ipm uelit. Si igit essemus corpus, aut crus, aut pecuniæ, hæc nostra essent impedimenta: Quòd si nihil horum sumus, sed animus rationalis corpore utens ut instrumento, & externis ad ministerium: Bonum uerò & malum in electione ab ipsis non prohibetur, nos etiam non impediri liquet. Nec eorum quicquam, quæ extrinsecus accidunt, impedimento nobis est, sed alterius cuisdam impedimẽtum est, quorum nos nihil sumus. Neque eeu ob res nostras dolendum est. Ita enim fiet, ut Propositum in alienis proprium habeat malum, ipsum uidelicet mœrorem. Atq; hoc pacto, quod proposuimus, demonstratum est. Controuersiã quippe quandã soluit, ab utili, puto, ex disertorũ rhetorum sententia, ductã. Nam posset quis dicere, haud esse utile ægrotare, aut pauperem esse. Quis enim ægrotus potest functiones secundũ naturam exequi? Quis item ualdè inops ac mendicus non cogitur ad comparãdas res necessarias laborare? Soluit itaq; hanc instantiam: Quòd morbus & paupertas, aliaq; eiusmodi aduersa, non sint propositi impedimenta, ex quo formatus est ipse homo, & iuxta quod bonum est ac malum. Quis enim uetat ægrotantem, quæ secundum naturam sunt eligere, quæ præter naturam declinare? Quid itidem summa paupertas committere, quod honestum ac bonum uirum dedeceret, coëgit? Nónne Diogenes, Crates, & Zeno tunc legitimè philosophati sunt, uitamq; secundum naturam homini conuenientẽ, & in frugalitate diuitias tum maximè iis, qui uidere potuere, ꝑ se tulerunt, cũ magnas diuitias cum summa commutauere inopia? Quis enim tales uiros non aleret, beneficium potius accipere, quàm conferre existimans? At quid alia nunc quærimus exempla, cum Epictetus ipse, qui hæc præcipit, seruus fuerit, ac corpore infirmus, claudusq; à puero, atq; in extrema ꝑrius paupertate uersatus, ut Romæ eius domiciliũ nunq̃ claui aut pessulo opus haberet, qppe in quo nil aliud esset, præter stratum, & stoream, in quibus dormiebat. Is est, qui dicit, Claudicatio cruris impedimentum est, propositi non, nisi ipsum uelit: è uita sua loquens, nec ea dicere affectans, quibus plausus dari solet, ut pleriq; nostrum faciunt. Adeò bonos ac felices animos huius uiri orationes recipiunt.

Quòd impossibilia non sint, quæ præcipiuntur, quando uires animo aduersus omnia insint. Cap. 13.

In quocunq; incidentiũ memento tecum ipse quærere, quam tu uim habeas ad eius usum. Si malum habeas, uim bonam inuenies, ut ad uoluptates continentiam: Si labor offeratur, inuenies robur: Si conuicium, patientiam. Atq; hoc pacto assuetus ab imaginationibus non perturbaberis.

Facile uitijs occurri per contrarias uirtutes. Cap. 19.

Cum magna quædã ac quæ ferè impossibilia multis esse uideãtur, ꝓposuisset, ut morbũ corporis, tanq̃ alienum malum, contẽnere, uelleq; ea, quæ fiunt fieri ita, ut fiunt, & uoluptatibus extrinsecus occurrentibus non inescari, & à molestiis non deprimi: meritò proponit se ostensurum hæc posse fieri, nec se impossibilia præcipere. Ostendit itaq; Deum, cum humanum animum talem produxisset, qui non suprà semper manere suapte natura posset, uelut angelici, ac multò etiam prius ipsi diuini: sed qui in generationem quandoq; descenderet, inq; hisce rebus uersaretur, dedisse uires ac facultates ad singula, ob quas illæsus ab illis euadere, ac superior esse posset: Aduersus ea, quæ iucũda uidentur, continentiam: nec dixit temperantiã, sed continentiam. Nam ad eos, qui adhuc erudiuntur, præceptum spectat. Mouentur enim affectus, & rationi aduersantur, uincuntur uerò ac fugantur, ubi eruditio promouerit. Atq; hæc continens uitæ forma ac modus est. Nam quoties non uicerit affectum ratio, sed ab eo superata fuerit, incontinens affectio appellatur. At in consumatis iam atq; absolutis, affectus ipsi, qui in nobis iam à puero fuerũt, penitus

ac procul dubio rõni subiecti sunt ac parent, ut ad ea dũtaxat moueãtur, ad q̃ ratio pſcripſerit, quando item, ac quousq; ea iusserit. Id autem est temperantia, salus, & eminentia eius partis, quæ in nobis sapit. Diuiditur enim, cum affectibus subiicitur, ab iisq; distrahitur, incolumis tamen atq; integra manet, si affectus uincat. Porrò aduersus labores ac molestias eruditi fortitudinem opponũt, quæ ne intra quidem animi uestibula dolorem accedere permittit, uerùm omnia laboriosa, tanquàm propositam sibi exercitationem, lætè atq; constanter superat. Iis uerò qui erudiuntur tolerantia adest, quæ incidentibus molestiis generose reluctatur, efficitq; ne animus concidat, sed dimicet, dolorisq; ictus repellat. Nam intẽta tolerantiæ reluctatio, ut uincat ratio, & superetur affectus, facit. Verùm si id sæpe fiat cum prudentia, affectus iam correctus atq; emendatus rationi obedire assuescit. Nec amplius opus est, ut qui in dolore est, toleret. Nam is quidem non dolet: Cum nec quicquam appetat: nec frustretur, nec quidpiã declinet, in quod incidat. Omnis quippe dolor in his rebus accidit. At aduersus conuicium, inquit, scutum patientiæ inuenies. Quippe nec laborem nec cruciatum suapte natura conuicium iis affert, qui id ferunt, sed opinio nostra, aut ambitiosa, aut iracunda: Id autem tantùm facit, ut cõuiciantem damnemus. Ne igitur cum nostro affectu hæc damnatio fiat, cognoscere oportet conuiciantis improbitatem. Aut enim falsò conuicia dicit, aut ob inimicitiam atq; odium. Ferendum tamen est, cum nihil nos lædat. Ac fortè conuiciantis iṗrobitas toleranda est, cogitando ipsum suum propositum læsum habere atq; corruptum, hoc est semel uitiasse. Porrò ex conuicio apertam proficisci utilitatem, si fuerit mendax: Si autem uerum, quoniam aliquod ex malis nostris, qđ à nobis ignoraretur: aut quod cognoscatur, & occultum esse putetur, patefacit, ac demonstrat. Sat enim hoc est ad eos auocandos, qui erudiri incipiunt, quiq; nondum ob solum bonum, sed pp ambitionem sordidiores cohibent affectus. Nam ad aliorum affectuum emendationem mirũ quàm cõducat Ambitio. quare postremus affectuum amictus appellat Ambitio. Siquidem animus aliis eius opera affectibus depositis, postremam hãc exuit, cum iam summi boni gratia omnibus spoliatur. Oportet itaq;, inquit, in singulis, quæ extrinsecus obueniunt, & ad externa trahunt, nõ statim ab imaginatione perturbari, quæ bonum quod contingat aut malum esse dicat: Nec appetitum aut declinationem subitò mouere, sed confœderatione quæ in nobis est, inuẽta atq; accita, cum illa ac per illam quæ incidunt, repellere.

Quales præbere nos oporteat, cum externa amittamus. Cap. 14.

Nunquam in re quapiam dicas, perdidi hoc: Sed, reddidi. Puer obijt, redditus est. Ager ereptus, nõne & hic redditus est? uxor decessit, reddita est. Sed malus est uir, qui abstulit. quid ad te, per quem repetierit, qui dedit? Quousq; autem tibi præbeantur, uelut alienorum curam habe, ut hospitij uiatores.

Rerum externarum iactura turbari non oportere. Cap. 30

Cum dixisset de rerum externarũ casu ac euentu, quomodo accipienda sint, & quomodo rebus extrinsecus accidentibus aut suauibus aut molestis utendum sit, quo ad abiectionẽ ipsorum: nunc qũo erga ipsam aĩatũ esse oporteat pcipit. Verùm quoniam qui se sua amisisse existimat, non põt non dolere, & de eo, qui ademerit, nõ conqueri: Qui uerò aliena reddiderit, nisi ualdè insipiens fuerit, nec dolet, nec eum, qui sua receperit, incusat: At externa non sunt nostra: Sed sola nostra sunt, appetitus, conatus, ac declinatio, in quibus bonum malumq; nostrum consistit: oportet circa res externas, tanquàm circa alienas res, constanter ita esse animatum, idq; in promptu habere. Est autem in promptu, si non uerbis tantùm, tanquàm in alienis affecti simus, ac nos ad ea usq; assuefaciamus. Qui sanè puero defuncto plorat, eumq; amisisse ait, se tanq̃ ob rem suam prius affectum fuisse ostendit: Atq; idcirco ablationem amissionem appellat, & ipsam iniquo fert animo. Indicat præterea is, si modo posset, eum qui abstulerit se uelle repellere. Qui autem se tanquam alienum restituisse putat, neq; se ipse cruciat nec eũ qui receperit quẽ dedit, incusat,

Verùm animaduerte, quid per hæc nobis Epictetus ostendat, non solùm scilicet ipsum sensum suam affectionem prolatæ ex ipso orationi indere, sed & orationes sensa erga seipsas afficere. Opus itaq; inquit, est & nominibus alienis externa uocare, ut uel ab his tanquam in rebus alienis afficiamur. Semper item ipsis alienis uti cum hac de ipsis cogitatione. Verùm quoniam curæ ac cogitationes de ipsis affectus ac solicitudines augent, has quoq; tanquàm de alienis esse habendas monet, & curam quidẽ ipsorum agẽdam, nec torpescendum esse: Non tamen curanda, ut propria & quæ auferri nequeant, sed uelut hospitium uiatores, qui & alienum ipsum existimant, & non multò pòst id se relicturos confidunt. At donec in eo manent, bonum ipsius usum pro uirili curant. Pulchrè autem dixit, donec præbeatur, ut promptum sit, ab alio id dari, hoc est ab auferente. Verùm quoniam nonnulli modum ademptionis ad doloris amplificationem deplorant atq; exaggerãt: Cur mihi hoc aut illo modo abstulit? Cur ita mortuus est puer, aut uxor? Febre, quàm conuulsione maluissem. Simile id, inqt, est, ægreferre, ut cur qui mihi hoc dederit, hoc non illo modo abstulerit. Cum tamen, qui ut uoluit dedit, quomodo uult recipere par sit. Et ipse Epictetus de iis, quæ maximos solent mouere affectus, uerba fecit, de filio, de uxore. Ad quæ si conferantur alia, uel à quocũq; despiciantur. Verùm, quod & ipse prius dixit, & deinceps dicet, à paruis incohandum est, Furatus est quis lucellũ: Abstulit seruũ, aut domũ, aut reliqua, & bona publicauit: ne dicas, ipsa perdidi, sed reddidi.

Responsio ad obiecta, quæ de superiori præcepto emergunt, & regula qua talia eligamus, ac ærumnis exerceamur. Cap. 15.

Si proficere uis, dimitte has considerationes, Si rem meam neglexero, nutrimentis carebo: Nisi puerum puniam, malus erit. Præstat enim fame obire sine dolore & metu, quàm in affluentia uiuere cum perturbatione. Præstat & puerũ malum esse, quàm te infelicem dominari. Igitur à minimis incipias oportet, effusum est oleũ, ablatum uinum. Considera tanti abste emi quietem, securitatemq; animi: Gratis autem nihil acquiritur. Si autem uoces puerum, cogita posse illum non audire, aut, si audiuerit, nihil eorum agere quæ uelis. Sed non tanti is est, ut propter eum tute perturbaberis.

Ad rerum externarum iacturas quomodo præparari oporteat. Cap. 31.

Cum docuisset sic curanda esse externa, ut aliena, atq; ut hospitium uiatores, audit quosdam refragantes, ac dicentes, si mea neglexero, alimentis carebo: Nisi seruum puniam, improbus erit. Aduersus quos respondet, tenorem illum ab initio sermonis seruans, qui bonum ac malum nostrum in iis, quæ sunt in nobis statuit, non in corpore nec in externis. Est autem sermo ad eos, qui erudiri incipiunt, conuersus, qui nondum eum possident habitum, ut & sui simul & externorum curam agere possint. Nam id iam eruditis adest, qui cum se in securitate constituerint atque collocauerint motu irrationali rationi subiecto, haud amplius timent, ne parum extra prospicientes ab irrationalibus cupiditatibus ad externa distrahantur, illarumq; tumultum ac turbationem admittant. Manentes enim apud se ii, externa quoq; ab ordine, qui in ipsis est, eliminant. At in quibus adhuc ptis irrationalis reliquiæ restant, periculosum est permittere, ut ad externa tẽdant. Nam affines ac familiares his sunt irrationales appetitus, nec adhuc moderati rationiq; subditi ipsum trahunt, ac in externa demergunt, cum nondum sua gubernacula ceperint. Quid igitur agendum est, ne eruditus necessariis careat alimentis? Dici quidem poterat, opibus ex contẽptu imminutis pulchrè se sustentare poterit uiri eruditi frugalitas. Tũ quòd paucis contentus est, quod eum decet. Si minus his uiuere poterit, non deerũt, qui alere uelint eum, qui paucis contentus sit, quiq; ob sui curationem opes cõtempserit. Possunt itaque, ut dixi, hæc illi responderi, idq; uere. At Epictetus has, tanquam molles atque uiro indignas rationes prætermisit, ut quæ uirtutis tenorem laxent, ac synceritatem munditiamq; maculent atq; coinquinent, si prorsus externis indigere debet. Ad summum autem collationis ascendit. Præstat, inquit, fame mori sine dolore & metu, & sua pfectione acqui-

sita, quàm uiuere in affluentia cum perturbatione. Quid enim prodest rerum externarũ ubertas ei, qui præter naturam affectus sit, & qui potius ea lædatur? Quid prosunt sumptuosa ac uaria fercula ei, qui ob morbum impune ipsis uti nequeat? Satius itidẽ puerum malum fieri, quàm te infelicem. Si enim fieri posset, ut te incolume, pueri curam habere posses, melius id esset. Quòd si hoc impossibile ob duas caussas est, tùm quia ineruditus alterum nunquam erudierit: cum etiam, quia puerum nihil iuuans, ipse maximè læderis: iandum æquum esset deinceps, illum quidem cum sua improbitate in malam crucem dimittere, nostri autem ipsorum curam habere. Cum igitur ita eum qui eruditur summis rebus applicasset, ut mori fame malit, quàm manere ineruditus, consulens, ob occupationem circa res externas, etiam puerum negligendũ potius, si malus fuerit, quàm ut ipse infelix sis, in ipsa iudicatione à paruis incipe consulit, pulchrè uiriũ eius qui erudit cõiecturã faciẽs. Exercitatio enim per mediocria, cũ secura, tum utilis est. Verùm siquis mediocria tanquã uilia despiciat, uelut est, in olei effusione, & uini furto exerceri, ad immodica autem illa transiliat, fit, ut neq; hæc superare possit, cum non per gradus ad ea ascẽderit: nec per illa proficere queat, cum ea contemnat. Fac enim aliquem, qui non in paruis exercitatus sit, Cratetem imitari, suaq; omnia subitò abiicere. Citò enim eum pœnitebit, priorem q; affluentiam requiret. Neq; enim Crates, aut Diogenes, aut Zeno, aut alius quispiam, subitò ad summum frugalitatis, uitæq; secundum naturam prouectus est. Verùm rarum id, nec securum est ad id quod rarum est comparari eum, qui ipse non rarus sit, sed plerunq; unus è multis. Cum uerò dixisset, incipiendo à paruis exerceri oportere ad contemnendam possessionum & pecuniarum imminutionem nostri profectus gratia, subdit, quomodo in seruis à paruis incipiendo, assuescamus ipsorum ad parendum negligentiam contemnere, nec ob eam perturbemur. Imaginatione enim cogitare oportet, inquit, puerum uocatum non auditurum, aut, si audierit, imperata non facturum. Illud quoq; cogitandum est, non adeò bene cum eo actum esse, ut ego perturber. Nam improuisa ac subita eos, qui erudiri incipiunt, maximè perturbant, ac uelut loco mouent, tenorisq; obliuisci faciunt. Præmeditata uerò uigilem ac sobrium reddunt, & reminisci faciunt, atq; consuetudine armari aduersus ea, quæ imaginationibus, & spei molesta accidunt. Multum porrò esse discriminis, utrum quis præparatus ea excipiat, an imparatus, omnes fatentur. Non solùm enim molesta, sed & iucunda insperatò euenientia, animum turbare solent. Molesta quidem subitò inuoluunt ac contrahunt imaginationem, cumq; ipsa collationem corporis, animiq;: Iucunda confestim diffundunt, distrahunt, ac dilacerant ipsum tenorem. Quò fit ut in his utrisq;, licet contraria sint, iidem ferè casus sequantur, animi uidelicet deliquia, algores, & sæpe ad mortem usq; defectiones. Verũ hæc pspicua sunt. Ipse autem Epictetus in aliarum quidem rerum imminutione, ubi facta fuerit, ita considerare ac dicere præcipit, Tãti uenditur quies, tanti securitas animi, gratis nihil acquiritur. In seruis uerò, eum qui seruum uocet, præmeditari oportet, non penitus auditurum, aut si audierit, imperata non rectè facturum, ita ut in ambobus ambo imperata audiat. Etenim bonorum imminutionem, præscribere sibi ac sperare oportet, & seruo non audiente, aut iussa non exequente, dicere, Tãti uenditur affectuum uacatio, tanti securitas animi: Gratis nihil acquirit. At ipse fortasse tanq̃ in re uiliori, effusione scilicet olei, aut uini furto, pparatione opus esse non putauit, sed satis esse, ubi accidit, cõsiderare. Tum quia in minoribus uel ipsa comparatio animum mouere potest, si quidem oleo aut uino rebus uilibus effusis, potest qui uult quietem ac animi securitatem accipere, nec in præsentia tãtùm, sed quæ in habitu maneat, modo siquis rectè hanc emptionem agat. Quis enĩ cũ æreis, homerici Diomedis modo, aurea non commutaret? Quis item mentis compos maxima animi bona non emeret externis abiectis? Quin quandoque non abiectis, sed contentus apparatu indifferentis & medii.

Contra uulgi de nobis existimationem. Cap. 16.

Si proficere vis, ne molestè feras, si ꝑpter ea, quæ extrinsecus sunt, demens aut stultus uidearis.

Non curandum quid de nobis sentiat uulgus. Cap. 32.

Multi rebus externis operam nauamus, non ut res tantùm necessarias paremus, sed ne aliis ociosi aut deme͂tes uideamur. Huic igitur imaginationi aduersans consiliu͂ Viro erudito & proficere cupie͂ti dat, ne propterea se se rebus externis immergat internis neglectis. Perquàm enim stultum est ita destitui, ne dementes habeamur à dementibus. Nam si nos assuefecerimus non ad dementium normam uitam nostram instituere, nec curemus quid ipsi de nobis sentiant: sed ad rectam rationem intuentes, & iudicium secu͂dum ipsam uiue͂tium sequentes, res nostras administremus: mirum quàm nobis id conducet, ut uitam secundum naturam rationali animali homini congruam adipiscamur.

Aduersus inanem gloriam. Cap. 17.

Ne velis rei cuiusquam gnarus videri: Et si quibus esse aliquis videare, ne crede tibiipsi. Scis enim non facile esse, & propositum tuum secundum naturam seruare, & externa curare. Sed necesse est, vt qui alterum curet, alterum negligat.

Persuasionem scientiæ abijciendam. Cap. 33.

Multa dicit Epictetus, ut animus eius qui eruditur ad se reuertatur, idq; præsertim eruditionis tempore. Cæterùm quoniam non externorum tantu͂ cura animum ad externa distrahit, sed multò magis inanis gloriæ affectatio, quæ uiros etiam idustrios & qui multùm iam ꝓmouerint, perturbat: Hanc quoq; radicitus excindenda͂ monet, Ne uideri uelis scire aliquid, inquit, non sciendi cupiditatem prohibens, sed appetitum ut uideamur cohibens. Nam animum effœminat, & ad externa trahit: & tum ut non sibi ipse, sed ut multitudini uiuat facit: tùm etia͂ illius existimatione contentus, non permittit ut ad uera͂ ac synceram sciam perueniat. Ac rectè quidem non dixit, nihil uidearis scire, sed nihil uelis scire uideri. Existimatio na͂q; de nobis, nec nostra, nec in nobis: uelle aute͂, nostrum est opus. At quonia͂ quibusdam interim uidemur, licet inuiti, tunc, inquit, ne tibi ipse credas. Conducit enim hoc, ne nos multitudinis iudicio co͂mittamus, aut eo contenti, ad profectum impediamur. Ac patet, non credere sibi in laudationibus de se existimationibus iis, qui adhuc erudiunt͂, conuenire. Doctus enim qui tutò & uerè se ipse iudicare potest, non opus habet ut sibi no͂ credat. Existimatio autem non solùm de scientia fit, uerùetiam cum quis temperans, aut iustus est, aut fortis: prude͂s item, aut demum uirtute aliqua præditus, aut ciuili facultate, aut maiore hominum obseruatione. Hæc omnia & alia idgenus breui particula, aliquis, complexus est, dicens, licet aliquis quibusdam esse uidearis. Deinde confert conclusionem tam iis quæ nunc, quàm quæ prius dicta sunt de cura rerum externarum, co͂munem, non facile scilicet esse ei, qui eruditur, & propositum secundum naturam seruare, & externis dare operam, pecuniis, aut gloriæ. Nam propositi secundum naturam conseruatio, studiu͂ est ac diligentia circa ea, quæ in nobis sunt: contemptus autem eorum, quæ non sunt in nobis. Propensio autem ad externa, contrarium ꝑstat. Quare non facile est ei, qui eruditur, utrunq; efficere: & tutò non dixit, impossibile, sed non facile, ob rara illa ingenia, ac raros generosorum animorum motus. Sed, inquit, qui in alterutro rectè se gesturus est, alterum penitus despiciat necesse est.

Quibus studendum sit, quibus non. Cap. 18.

Si uelis liberos, vxoremq; tuam, & amicos uiuere, stultus es. Quæ enim in te non sunt, uis in te esse, & quæ aliena, tua. Atq; ita, si puerum peccare non uis, stultus es: Vis enim ut uitium non sit uitium. Si autem uelis appetens aliquid, eo non frustrari, hoc potes. Hoc igitur exerce, quod potes.

Rerum naturæ non repugnandum. Cap. 34.

Studio ac diligentia digna sunt, quæ benè perfici possunt: Qui enim impossibilibus uacat, demens est. Secundò quæ danti operam conueniunt: Aliena enim curare, & super-

uacuum

uacuum est. Tertiò demum studio dignum est, ut res proposita memorabilis atq; alicuius precii sit, securitatemq; ac stabilitatem habeat. Quis enim sanæ mentis homo in res uiles, ac fluxas studioq; nullo dignas incumbet? Cum igitur eum, qui instituitur, à rerum externarum studio auocare uellet, per diuisionem eius quod in nobis quodq; non in nobis est, quæ ab initio collecta est, res externas alienas esse ostendit. Non enim in nobis sunt aliena, ut demôstratum est. Qui itaq; liberos, uxorem, & amicos uiuere uult, uult aliquid ac curat, quod in nobis non est: Quod idcirco impossibile nobis est, ut acquiramus. Quorum.n. côpotes non sumus, ea nobis côparare penitus nequimus. Eorû.n. qui possunt, est dare nobis. Præterea ipsa externa & uilia & fluxa, iacturæq; exposita sunt. Nam mortalia mori necesse est, quoties debitum tempus aduenerit. Qui itidem seruum etiam seipso meliorem postulat (quod plerûque iis usu uenit, qui seruorû errata iniquo animo ferunt) stultus, inquit, est, cum impossibilia cupiat. Nam fieri non potest, ut animus, qui absq; ratione uiuat (mali enim animi est sepæ in actionibus errare) non actiones quoq; uitio conuenientes faciat. Quare qui in rebus impossibilibus, alienis, iacturæ expositis, ac caducis studium impendat, frustretur ipsis, & frustratus doleat, ac ploret necesse est. Si itaq; non frustrari uolumus, rebus quæ in nobis sunt, danda est opera. At in nobis est ea, quæ secundum naturam nobis conueniunt, appetere. Circa hoc igitur, non circa externa studium nostrum exerceamus.

Quæ seruos faciant, quæ'ue liberos, Cap. 19.

Dominus cuiusq; est is, qui quæ ille vult, aut non vult, potest aut dare, aut auferre. Qui ergo liber esse vult, neq; uelit quippiam, neq; fugiat eorum quæ sunt in alijs: Alioquin ut seruiat necesse est.

Non optanda quæ in aliorum potestate posita sunt. Cap. 35.

Hoc quoq; contemptum ac uituperationem continet rerum externarum, & animorum erga ipsas propensionis, ob quã nô dolemus solùm ac flemus frustrati iis, quæ appetimus aut in ea, quæ declinamus, delapsi: uerumetiam seruire non uni tantùm, sed multis quandoq; asperisq; dominis cogimur. Compos enim ac Dominus cuiusq; est, qui quæ ille uult aut appetit, uel dare uel auferre ipsi potest. Illis enim qui appetenda nobis præbere possunt, subiicimur ac ministramus seruiliter, ut ea nobis præbeant: Iis item, qui possunt adimere quæ habemus, adulamur cum formidine: timemus, ac demulcemus ut dominû eum qui quæ nos declinamus, infligere possunt, ne infligant: & qui potest auferre, ne auferat. Constat itaq; ea externa esse & aliena, quæ alii aut dare aut adimere possunt. Nostrarum enim rerum nos sumus domini ac côpotes, & in nobis illæ sunt. Si bonum igitur est Libertas, & liberi esse uolumus, & non serui, ne quicquam appetamus eorum, quæ in aliis sunt, nec declinemus. Alioquin seruiamus necesse est, idq; uariis modis, ut quæ appetimus consequamur, utq; ea nobis non auferantur: Vt fugienda declinemus, & in ipsa non incidamus. Animaduerte porrò nos in singulis binos habere dominos, alterum intus, foris alterum. Irrationalis.n. appetitus cû exuit ratione, hoc est nos ipsos mouit, qui ex ea constamus, cepitq; captiuam, unà cum ipsa seruit deinde domino externo: ut nô serui solùm, sed seruorum serui simus. Atq; alii quidem serui separantur ac liberantur à dominis, saltem cum dormiunt, remissionemq; aliquam & quietem ab ipsis accipiunt. Nos uerò etiam dormientes improbis, iniustis ac monstrosis asperorû horum dominorum iussis seruimus, nec remissionem ullam habemus, ubi semel ipsis subiecti fuerimus. Verùm modo re ipsa, modo uerbis, interdû imaginationibus in furorem ab ipsis agimur, & quod deterius est, quoniam ex seruis qui modestiores sunt, inuiti improborum dominorum iussa faciunt. At nos læti, & commenta excogitantes ad assequenda, & declinanda ea, quæ illi nunq̃ sine damno ac iactura imperant.

Regula electionis præsentium, præteritorum, & futurorum per similitudinem. Cap. 20.

Memento oportere te uelut in côuiuio uersari, in quo si fercula ad te peueniunt, extenta manu modeste

carpe. Si transit, qui fert, ne eum detine. Si nondum peruenit, ne procul appetitum extende. Sed expecta, dum ad te ueniat. Sic erga filios, sic erga uxorē, sic erga principatus, sic erga diuitias. Erisq; aliquando dignus Deorum conuiuio. Si uerò quæ apposita fuerint, non capies, sed contemnes: Tunc uerò non modò Deorum conuiua, sed collega eris. Id enim cum facerent Diogenes & Heraclitus, atq; his similes, meritò & diuini erant & uocabantur.

Externis modestè fruendum. Cap. 36.

Cum uariè eorum qui erudiuntur, ad res externas propensionem euertisset, ne prorsus contrà eos ab ipsis auocare putetur, exponit quæ & quomodo capienda sint. Ac primum quidem dicebat, necessaria & alioquin utilia ad uitā, per trāsitū capessenda esse, aio semper ad nauigium conuerso atq; intento. Nunc uerò mouet, quæ dantur ex ipsis, modestè accipienda esse, liberos, principatum, diuitias, & similia: non tamen extendendum ad ipsa appetitū. Verùm si parta auferantur (id enim sibi uelle, transit, arbitror) ne retine, inquit hoc est, ne coge ipsa manere, nec si auferantur, ægrè feras. Si nondum uenit, ne appetas ipsa, neq; cupiditatem in ipsis defixam habeas atq; imaginationem, tui tuæq; promotionis oblitus. Et si dentur, inquit, ne totū te ad ipsa lætabundè & uoraciter extendas, sed modestè & summo, ut dicitur, digito, ipsa capere ut & imperare ipsis possis & decenter uti seiunctus, non summersus ab ipsis. Conuiuio autem comparauit conuentum eorum, qui à Deo congregātur, tanquam conuiuii magistro, & unoquoq; rebus appositis ab ipso fruente, ut cōuenit cuiusq; cupiditatibus. Verùm alius pro dignitate sua ac secundū naturam conuiuiiq; magistri sententiam, quia uidetur ipsius esse conuiua: Alius incomptè ac raptim, nec ꝑ sua utilitate, nec ꝑ conuiuii magistri decoro. Quòd si dato tibi, inquit, aliquo externorum eorum, quæ à multitudine suspiciuntur, non capias, sed contemnas, ut Crates & Diogenes fecit. Cum enim Alexander ille percūctatus esset, quid uellet: Recede, inquit, à sole: Forte enim ad ipsum apricabatur. Quamobrem admiratus hominis generositatem Alexander, à diis precatus dicitur: Si fieri posset ut esset qualis Diogenes: sin minus, ut maneret Alexander. Qui igitur, inquit, dato aliquo externorum, non capit, sed contemnit, & ad egregiam ortus sui excellentiam recurrit, non conuiua solū præstantiorum, sed collega quoq; fit. Nam prouidentia circa ortum meliorum, cōuiuiuas sibi eos facit, qui pro ipsorum sententia in ipsa se gerunt: At eximia natura atque excellentia uniuersorum (nam qui uerè imperat à subdito excipitur) æmulos animos ad imperii societatem uocat. Qm̄ sublimia animo cogitantes ac contemplantes, uniuersum tunc unà cum Diis regunt, nec ipsi subiecti sunt. Quare, ait, qui hæc contempserunt, Heraclitus & Diogenes meritò & diuini erant, & uocabantur. Diuini enim sunt, qui iuxta summam ac eximiam suam naturam uiuunt, Nam quod ubiq; est summum, diuinum est, quoniam oīum summus est Deus.

Quo pacto imaginationi moderandum circa ea, quæ fugienda uidentur. Cap. 31.

Cum flentem uideas in luctu, qa eius filius aut peregrè absit, aut obierit, aut bona dilapidauerit, caue ne te imaginatio corripiat, tanquam in malis sit ille, cum sit in externis. Sed statim in promptu habeto, Non hunc casus hic torquet, quia alium non torquet, sed opinio. Quantum igitur ad sermonem pertinet, uersare audacter cum illo. Et si inciderit, simul geme. Caue tamen ne & intrinsecus gemas.

Affectum alienorum malorum admittendum non esse. Cap. 37.

Quemadmodum in externis, quæ bona uidentur, nō oportet adeò promptum esse nec statim admittere, cogitando, qualia qualia fuerint, non in ipsis bonum nostrum cōsistere: Ita in iis quoq; externis, quæ fugienda uidentur, tutum esse oportet, cum nec malum quoque nostrum in iis situm sit. Quoties igitur, inquit, plorare aliquem uideris, quia eius filius aut peregrè absit, aut decesserit, aut bona profuderit, ne te corripiat imaginatio, tanquā ipse in malis externis existat. Non enim in externis sunt nostra mala, uelut neque bona. Quomodo igitur hic qui flet, tanquam à malo, quod euenit, cruciatur? Non enim eiusmodi est, quod contigit, alioquin omnes cruciaret, quibus id obueniret. Velut quod natura

turà calidum est, omnes qui attingũt, excalfacit. Anaxagoras, cum accepisset mortuũ esse filium, sedatè simul, & generosè, sciebam me, inquit, mortalem genuisse. Quid igitur hũc cruciat? opinio, qua existimat quod accidit malum esse: ea ipsum torquet. Opinio autem nostra res est. Quare reuera ipsum malum cruciat, id autẽ non in externis, sed in nobis est, ut hoc uel illo modo de rebus euenientibus opinemur. Quid igitur? nihil affici malis eorum, qui torquentur, uirum æquum oportet, & eorum opinione dãnata, ipsos despicere? minimè. Sed uersari quidẽ, ac aliquatenus descẽdere, & sermone affectibus pleno, si opus sit, uti, simulq; gemere oportet, non simulatè (Viri enim æqui non est simulare) sed deplorare quidem humanam infirmitatem, & quæ nam res gemitu dignæ sint, existimare conuenit. Habendus tamen est assensus modus, ne affectu adigatur ipse quoq; intrinsecus ob rẽ quæ obuenit ingemiscere. Nam nõ amplius flenti opem ferre põt. Siquidẽ opus est, qui affectui opẽ laturus est, ac ipm ab affectu auocaturus, aliquatenus assentiri, dũmodò ipse firmiter ac securè positus sit. Quoniã nec quis prorsus immobilis manens retrahet eũ, qui à fluxu defert, nec si penitus cũ ipso simul correptus ab unda fuerit. Qui.n. psus exẽptus est ac sepositus, cum affectu carere uideatur, non habet fidem apud eum, qui affectibus angit. Qui uerò ipse quoq; simul ab affectu se superari finit, alterius ope iam indiget.

Quid ad nos attineat, quid'ue supra nos sit aptissima similitudine. Cap. 28.

Memento actorem te esse fabulæ, quãcunque is velit, qui docet: si breuem breuis, si longam longe. Si mendicum agere te velit, fac cum ingeniosè agas: Si claudum, si principem, si priuatum. ad te enim pertinet, datam tibi personam bene agere: eligere, ad alium.

Seruandum decorum. Cap. 38.

Cum superius uitam hanc nostram & externarum rerum usum comparasset, & conuiuii magistro Deum, qui hæc dat similem esse dixisset, quoniam in nobis esse, & capere & non capere supposuerat, & idcirco appetitum nostrum instruebat, atque electionem, quomodo habere oporteat erga præsentia externa, præterita, ac futura. Nam in conuiuiis pro cuiusq; appetitu, singuli etiam apposita accipiunt. Nunc scenæ uitam assimilem esse uult, & scenæ actores qui in ipsa uita res administrant, & chragũ magistrumq; fabulæ ipsum Deum esse describit. Quoniam accipere aut non accipere quod datur, non est in nobis. Necesse enim prorsus est accipere, cuiusmodi multa sunt, quæ à Fato proueniũt. Quãuis enim diuitias accipere in nobis non sit, sed paupertatem, aut morbum: non tamen penitus declinare in nobis est. Item quãquàm in nobis sit, ne domini simus aut principes: ne seruiamus tamen aut subiecti simus, in nobis non est. Quare in his usus tantùm in nobis est, & bonũ nostrum aut malum in his uersatur, non in appetendo, aut accipiendo, aut non accipiẽdo, ut prius dicebatur: sed in usu, qui in nobis est, bene aut male affectũ esse. Aegrotare enim bene, aut bene paupertatẽ ferre esse, & usus deniq; tam eius, quod secundũ electionẽ, quam eius quod ex necessitate acceptum est, in nobis est, uelut quoq; in scena. Eligere enim singulos actores ad personam in fabula idoneam, ad regem, aut seruum, aut furiosum, ceu Orestem, ad eum: qui fabulam docet, spectat, qui & personarum, quæ in ipsa sunt, & actorum qualitatem considerauit. Rectè autem agere datam personam, ad actorẽ, qui electus est, pertinet. Quò fit, ut seruo plerũq;, aut pauperi, aut furioso in fabula plausus detur: Diues, aut Imperator, aut Rex explodatur atq; exibiletur. Quoties illi cõmissam personam bene, hi male suas parteis agant. Quorum illi bene elaborarũt, hi malè. Ita quoq; in uita, quot Regibus, diuitibus, & robustis, seruus, mendicus, claudusq; Epictetus, cum à chorago & magistro Deo, tum à spectatoribus, qui in uita sunt, prælatus est? Quoniam benè impositã sibi personam, & pro magistri sententia, egit, cum quãtum ad se spectauit, rectè disposuisset. In quo & bonum & malum humanum, & laudabile penes sapientes, & uituperandum uersatur.

Quo pacto & in aduersorum expectatione imaginationi moderandum sit. Cap. 23.

Si coruus aduersum crocitabit, ne te imaginatio corripiat: sed statim te cum ipse dijudica, & dic, Nihil mihi hæc significant: sed uel corpori meo, vel possessiunculæ vel gloriolæ, vel natis, vel vxori: Mihi verò omnia prospera significantur, si voluero. Quicquid enim horum incidat in me est, vt ex ijs vtilitatem capiam.

Auspicia malorum uiro Erudito nihil obesse. Cap. 39.

Caput hoc, puto, conuenientem ordinem haberet, si proximo, cuius initium est, Cum flentem uideas in luctu, subnecteret. Nam cũ in eo dixisset, non oportere affectibus uinci unà cum iis, qui in malo se esse putãt, quòd aliquod externum amiserint: nec correptum existimandum eum in malo esse: Quando in nobis est & boni & mali nostri substantia ac radix. Nunc ait, si auis, aut omen aliqđ, aut oraculũ aliqua tibi mala significare uideanť, ne idcirco corripiaris: Sed pcul à corpore tuo & externis cogita bonũ tuum in te esse. Nisi igitur tu uolueris in malo esse, hæc, quæ significantur mala, tibi non significabuntur, sed uel corpusculo tuo, aut gloriolæ, aut opibus, aut natis, aut uxori: tibi autem omnia prospera significantur, si modò tu uelis, cum in te sit & bonum & malum tuum. Quin etiam ab iis, quæ circa externa esse mala uidentur, utilitatem capere potes, & quò ea maiora uidentur, eò magis ab ipsis iuuari, si bene te in ipsis gesseris. Atqui si tua mala hæc fuissent, læderent te, non iuuarent. Si igitur te iuuare possunt, tibi ergo nihil mali accidet, nisi uolueris. Et hæc, quæ significantur, ut tua mala, si uolueris, non tua fuerint, sed alicuius, quod circa te sit.

Caussa superioris sensus, & quasi conclusio. Cap. 24.

Inuictus esse poteris, si in nullum certamen descendes, quod vt vincas in te non est.

Nil aggrediendum, quod sit in fortuna positum. Cap. 40.

Cum dixisset mali tibi nihil significari, si uelis modò, ita ut in te sit ne in malo sis: Huius rei caussam, ut puto, ac demõstrationem per pſens caput innuit. Si enim in te est, ut unq̃ ad externa te cõpares, ac certes, aut appetendo, aut declinando, in quibus uinci quandoq; necesse est, si aut re expetita frustreris, aut in declinata incidas: sed circa ea quæ in te sunt, uereris, in quibus ut nunquam frustreris in te positum est, aut appetendo aut declinando, hoc est, ut nunquam uincaris, sed semp inuictus maneas. Quòd si hoc ita est, patet ut uel nũquam in malo sis, in te esse. Qui enim in malo uersatur, à malo uincitur. Si uerò in te est, ut nunquam in malo sis, in te quoq; erit, ut nunquã mali aliquid tibi significeť. Rectè itaq; dictum est, mali nihil tibi significari, nisi si tu uelis, hoc est nisi ad certamen descendas, qđ ut uincas in te nõ est: Hoc est, nisi in rebus externis bonũ malumq; tuum statuas.

Quæ uia ad libertatem expeditißima sit. Cap. 25.

Vide ne quẽquam, quem tu aut honore, aut potentia, aut fama præstantem conspicias, beatum dicas, ab imaginationibus videlicet correptus. Nam si substantia boni in ijs est, quæ sunt in nobis, ibi neq; inuidia, neq; æmulatio locum habet. Tu autem non imperator, aut senator, aut consul esse vis, sed liber. Vna autem via ad hoc est, contemptus eorum quæ in nobis non sunt.

Contemnenda externa, si liberi esse uelimus. Cap. 41.

Cum dixisset eũ esse inuictũ, qui ad certamẽ nõ descẽderet eorũ, q̃ in nobis non sunt, qm̃ ad hæc trahunt eorũ exẽpla, qui in iis pſperi esse uidenť, & æmulatio erga illos ac inuidia: breuiter ostendit, neminẽ, qui bonum humanũ quærat, aut inuidere unq̃, aut æmulari. Si enim bonum humanum in nobis est, quibus uerò honor, potentia, & bona existimatio nem apud multos est, nihil quod in nobis sit habent, certẽ ii nec bonum obtinent, quod ad hominem pertineat. Quem igitur erga hos locum inuidia aut æmulatio habuerit?

Quid inter inuidiam & æmulationem intersit. Cap. 42.

Siquidem inuidia est, dolor ob alienum bonum. Aemulatio uerò ardens quædam uoluntas, ut ei, quod bonum censetur, pares simus. Oriuntur autem hi affectus, quoniam quilibet

quilibet homo honoris est cupidus, & ne inter æquales ac similes existimationẽ suam amittat, solicitus est. Quamobrem qui sunt hebetioris naturæ, nec ipsi proficere queũt, aliis detrahendo, ipsis æquari, aut superiores esse uolunt: atque aliorum secundis rebus dolent. Atq; in hoc inuidia est. Nam aduersus fortunatum, aut qui esse fortunatus uideatur, proserpit inuidiæ morsus: Sed præsertim aduersus parem aut affinitate, aut studio, aut fortuna. Nemo enim ualdè eminenti inuidet, nec ualdè inferiori: Cum nec ullus aduersus eos contẽdat. Qui uerò tenorẽ quẽdam habent, impelluntur, ut facto profectu adæquentur illis, aut eos superẽt, aduersus quos certamen ipsis est. Quare inuidia malus semper affectus est. At æmulatio, ubi de uirtute nascitur, honesta est, & bono amori cognata. Vbi uerò circa quippiã externũ, improba est, & inuidiæ cõiuncta. Si igiť inuidia & æmulatio tã quam ob bona fiunt: Honor uerò, potentia, ac existimatio, quæ multitudini bona esse uidentur, bona non sunt: (bonum siquidem inter ea refertur, quæ in nobis sunt) patet in his inuidiæ atq; æmulationi nullum esse locum, si modo ueritatem introspiciamus. Non igitur oportet ut is qui erudiť, inuidia aut æmulatione ꝓsequẽs eos, qui in eiusmodi rebus fortunati sunt, in his bonum constituat. Libertatem enim oportet ab eorũdem affectuum, qui à ratione sunt alieni, uinculis, non ullam rem externã appetere. Vna aũt uia ad libertatem ducit, inquit, contemptus uidelicet eorum, quæ non sunt in nobis: In quibus & seruitus & subiugatio est. In his enim est, ut frustremur iis, quæ appetimus, aut incidamus in ea, quæ declinamus. Circa hæc irrationalium in nobis affectuũ appetitus, & imperium contra nos ipsos uersať. Quare res externas contemnentes, & cognatos ipsis affectus, tanq̃ à sociis ac confœderatis destitutos, ut rationi subiicianť demus operam.

Solutio eorum, quæ superioribus obstare uidentur, Cap. 26.

Memento non qui conuiciatur, aut uerberat, iniuriam facere, sed opinionem de hoc, uelut iniuriam facere. Cum te igitur quis irritet, tua te opinione scito irritari. Quamobrem à principio enitere, ne te imaginatio corripiat. Si enim semel tempus, aut otium nactus feris, facilius tuiipsius compos eris. Mors, & exilium, & omnia, quæ terribilia uidentur, ante oculos tibi continuò sunto. Maximè uerò omniũ mors: neq; quicquam unquam humile cogitabis, neq; quicquam cupies nimis.

Lædi nos opinione tantum: & præmeditanda rerum euenta. Cap. 42.

Cum iterum, quæ in externis bona cẽsentur, carpsisset, unamq; uiam ad libertatem esse prædixisset, contemptũ eorum uidelicet, quæ in nobis non sunt, cõtrouersias dein, aut quæ disputandi gratia adducantur aut quæ oĩno eorum cogitationes, qui nuper instituuntur, perturbent, dissoluit, idq; ab iisdem eruditionis elementis procedens. Atq; ipsæ quidem cõtrouersiæ aiũt, si externa contẽnamus, & iccirco uiles ac impotẽtes maneamus, multa mala à potentibus perpetiemur, si et uiribus careamus, nec adulari potentibus uelimus. Nam conuiciantur, uerberant, ac omnibus nos modis contumelia afficiunt, & bona auferunt, & in exiliũ mittunt, & postremò interdũ interficiũt. Ipse aũt Epictetus aduersus hæc ait, horum nihil terribile esse: Alioquin omnibus horrenda uiderentur, sed opinio, qua credimus ea horrenda esse, terribilis est. Quare ii non iniuriam agunt, cum hæc agunt, sed opinio qua nos iniuria affici putamus, ipsa nos quasi iniuria afficit. Opinio autem ac existimatio de hac re, nostrum opus est. Nos igitur nobismet facimus iniuriam. Verùm nec esse horrendam, nec ægrè ferẽdam iniuriam, inde colligitur. Aut enim uera est, aut falsa. Si uera, quid ægrè ferimus uera audire? Ac cur facere ipsa non ægrè ferimus, audire autem iniquo patimur animo? Si falsa, ille, qui mentitur, læditur. Quid igitur aduersus hoc agendum? Non corripi, inquit, ab imaginatione iniuriæ, & exclamare, aut eiulari, in malo esse putando, sed tempus sibi dare ad rei, quæ obuenit, considerationem, qualis nam ea sit. Si enim tempus aliquod atq; otiũ nactus fueris, non corripieris à re nec opinata, ac subita: sed interim quiesces, ac simul tempus erit ad eruditionis elementa inquirenda, ac diiudicãda, utrum quod euenit, in nobis sit, an non sit. Quòd si ipsum non in nobis compereris, con-

cludes, ne bonũ quidem noſtrum aut malum eſſe: Atq; in te eſſe, ut eo tanquam bono utaris, atq; ex eo utilitatem capias, ſi generoſè cõtempſeris. Ne autem corripiamur, magnopere conducit, ut aſſueti ſimus, ubi aliquid eiuſmodi euenerit, ſilere ac quieſcere, donec ardorem illum ac feruefcentiam internam reſediſſe ſenſerimus, & canis ille, qui in nobis eſt, latrare deſierit. Fertur Socrates, ſi quando iratus eſſet, prorſus ſilentium agere ſolitus eſſe. His, puto, ſequentia forte connectentur, & copulatiuam ipſis coniunctionem ſubintelligere oportet, quæ dicat, Mors uerò & exilium, & omnia alia, quæ horrenda uidentur, ob oculos tibi ſemper uerſentur, & quæ ſequuntur. Cum enim cõmuni ratione de omnibus, quæ extrinſecus accidunt, ac horrenda uidentur, ſniam protuliſſet, nihil eorum horrẽdum, nec iniurium, nec noxium eſſe, ſed opinionẽ de ipſis eẽ, quæ nos iniuria quaſi afficiat ac lædat. Remedium quidem aduerſus cõuicia, ac uerbera, & ſimilia adiecit, ne iraſcamur illis, aut labamur, non permittere ſe ab imaginatione corripi: At aduerſus exilium, ac mortem, & quæ his magis horrẽda ſunt, aliam parat opẽ, ne talia deſperemus, ſed continuè ſpe concipiamus ut quæ aliqñ futura ſint. Si .n. ratio oſtendit, nec bona nec mala extrinſecus eſſe: Conſuetudo autem per imaginationem, afficit nos quodãmodo, ut ita erga ea habeamus, uelut erga conſueta: Neque ab iis, quæ horrenda uidentur, deprimemur, nec quæ appetenda uidentur, cupiemus.

Secunda pars, quæ eum qui iam profecerit, instituit, eaq; primo diſſoluit, quæ philoſophari incipientibus occurrunt. Cap. 27.

Si philoſophiam cupis, præpara te continuò, ut irridearis, ut ſubſãneris à multis, ut dicant, vnde repente nobis philoſophus emerſit? Et unde nobis hoc ſupercilium? Tu uerò ſupercilium quidem ne habe, quæ verò tibi optima uidentur, ita retine, tanquam ſis à Deo in hac acie collocatus. Quòd ſi perſiſtes in iiſdem & qui te prius deridebant, iidem poſteà admirabũtur: Si uerò iis terga dederis, duplą irriſione afficieris.

Vulgi maledicta contemnenda, ſed, ut iure uituperari poſſimus, non committendum. Cap. 43.

His præceptis cum omneis homines, quà homines, ut ab externis, & eorum affectione abſcederent, hortatus eſſet, quòd ea aliena ſint, uerùm ut in ſe ipſis bonum & malum quærerẽt, id quod aĩalibus ſui iuris ac electiõis liberæ, & conatus cõuenit: hinc deinceps cũ iis, qui aliquãtum iam profecerũt, ac philoſophiam cupiunt, plerũq; loquitur. Ac ſtatim eiuſmodi cupiditatis ortum ac principium præmunit, ea quæ initio euenire ſolent iis p̃dicens, ne ſi inopinatò inciderint, perturbent ac diſſoluant tenorem. Mos enim bonæ hominum partis eſt, ut eos qui à uitæ uſu uſitato ſe recipere uolunt, grauiter ferant. Et quandoq; ne ea uideantur deterius agere, ac præſertim familiares derident atque ſubſannant. Quandoq; etiam tanquam indignè euecti ſint notam inurunt, partim ipſis irati, partim inuidia eorum alacritatem retardare ac reſcindere uolentes. Quocirca permulti his deriſionibus, ſubſannationibus, ac exprobrationibus uicti, aciẽ deſeruerunt, atq; ad priſtinos mores reuerſi ſunt. Eſt aũt ſubſannatio deriſio per naſum, ac per eiuſmodi oris figurã contẽptus. Aliis uerò non uſq; ad figuras ac ſubſannationes contumeliaſq; res tantũ procedit, ſed pericula quoq; ſubeunt ac torturas tam ipſi, q̃ qui ipſis ad bonam illã uitæ inſtitutionẽ fauent: partim à domeſticis ob affectum inutiles ad uitam fore putantur: partim ab externis, qui cum excellentiæ honeſtioris uitæ inuident, tum iraſcuntur ob ſui, ac ſuæ uitæ contemptum. Fit autem interdum reuera, ut nonnulli philoſophari ac bene uiuere affectantes ob quandam indolem ac felicitatem, cum nondum ipſam conſecuti ſint, ſed ſpem tantùm ac leuem imaginationem excellentiæ eius conceperint, quam ſi ad alias uiuendi rationes conferatur habet, fit inquam, ut tanquam haberent, ſuperbiant, proptereà quòd non habent. Nihil enim æquè à philoſophia ac bona uita alienũ eſt, atq; contractum ſuperciliũ, & inanis illa iactantia ac elatio, quæ Dei præceptum, Cognoſce uidelicet teipſum, non cogitat. Quod & principium eſt & finis omnis philoſophiæ, ac bone uiuẽdi. Statim itaq; his indigni uidentur, qui extolluntur. Quando non ex animi magnitudine hæc elatio naſcitur

Verùm est uanus quidam tumor ac præter naturam, qui ad externa diffunditur, ac internam sanæ magnitudinis partem trahit: ut in corpore fieri uidemus, cum naturalem affectionem internorum sequitur, ac per totum corpus æqualiter spargitur, & continuam externorum ad interna cõcretionem seruat. Præcipit itaq; cupientibus philosophiã, ut hunc uitent affectum, qui & hominibus odio est, & insidiarum facile ac iustè in habentes, caussa: Sed ut ipsi puri ac synceri, derisiones, subsannationes, & contumelias paruipendant, cogitando quid sit homo, & quid eiusmodi naturæ conueniat: Sed ut constanter maneant in melioris uitæ electione, tanquam à Deo ad ea constitutus sint. Maximum enim omnium quæ hominibus elargitus est Deus, Philosophia est. Quinetiam indicant qui derident, magnificè se de philosophia sentire, nos uerò tanquã ea indignos carpere, cum dicũt, Repẽte nobis philosophus emersit. Præterea multò magis, si lenibus ac modestis moribus tenorem ad finem usq; seruauerimus, admirabũtur, cũ ipsam philosophiæ pulchritudinem, & magnitudinem in eo, quem prius deridebant, conspicient. Si uerò, inquit, à derisione ipsorum uictus, tenorem solueris, & ad pristina reuersus fueris, dupla tunc irrisione afficieris. Nam derisio illa ab initio orta, si promoueris, & iis qui te deridebant, admirationi fueris, nihil ad te, sed ad eos, qui deridebãt, retorquebatur. Quòd si uictus ab ipsis fueris, illa quoq; derisione dignus es, cum in cothurno clauam sumere aggressus, & cũ uili ac uituperata, ad philosophiam accesseris: Secundam item irrisionem iterum contraxisti, cum aciẽ deseruisti atq; ordinem, in quo constitutus eras, teq; tam contẽnendis hostibus, derisioni, subsannationi, & aliis id genus terga dedisti. Dupla itaq; is derisione afficietur non immeritò, cum & uictus sit dementium irrisione ac iniquorum, quæ nihil ad eum pertinebat, si tenorem modò seruasset, quem cum remiserit, iustè profectò & nõ immerito risum sibi ipse acciuit. Atque hæc quidem opem ferre possunt animo, qui non penitus ad tuendos ubiq; honestiores status eneruatus sit. Sociam enim ac confœderatam sibi etiam quæ in rebus honestis est, ambitionem asciscit, quæ tenorem rationi uehemẽtem adiicit, & ad ipsam expurgaturi Quoniam honorem non ob ipsum, & obseruantes amamus, & extrinsecus bonum ipsum ponimus, uerùm cõiecturam ex ea facimus, in nobis aliquid boni esse, atq; honore dignum. Quare non cuiuslibet honor admittendus est, sed sapientum, quorum testimonio fidem habere tutum est.

Quòd à seipso ad externos conuersio philosophi statum destruit. Cap. 28.

Si quando euenerit, ut ad ea, quæ extra sunt, te conuertas, velisq; cuipiam placere, scito te de statu decidisse. satis igitur tibi in omnibus sit, philosophum te esse. Si autem videri etiam vis, tibi ipsi videare, & satis erit.

Curandum ut simus, non ut uideamur. Cap. 44.

Cum dixisset, iis quæ optima uidentur, inhærendum esse, tanquam à Deo in hac acie collocatus sis: & si in iis quæ honesta uisa sunt perduraris, illos, qui te prius deridebant, ad miraturos: si uictus cesseris, dupla irrisione afficiendum: Cõmuniter his subtexuit, si quis se ad externa conuertat, ut alicui placeat, philosophi tenorem soluere, qui ad seipsum & ad meliora se conuertere uult. satis igitur tibi, inquit, in omnibus sit, philosophum te, hoc est, bonum uirum esse. Quòd si non tibi sat est, ut sis tantùm, sed uideri etiam uis atq; apparere bonum tuum (quæ enĩ re uera bona honestaq; sunt, ꝑfulgent, tum magis se quis bonũ esse crediderit, si ipsius bonitas appareat) tunc, inquit, non externa & multitudinem spectes, quæ nec pro dignitate hæc iudicare nouit, sed tibi uidearis, & satis est. Cum enim iam philosopheris, (ad eum enim sermo est) cum seruabis tuũ tenorẽ ad te ipsum conuersus, tum etiam tui iudicem teipsum habebis, multis meliorem. Porrò animaduerte discrimen eius, quod prius dictum est ei, qui erudiri incipit, & eius quod nunc philosophari cupienti dicitur. Illic enim aiebat, nihil scire penitus uideri uelis, quoniã externis ille prorsus uideri uolebat, & illius gloriæ cupidissimus erat, cũ nõdũ sui iudex æquus esset. Hic uerò, quando

hic ad se ipsum conuersioni paratior est, & uideri appetit, tanquam id testetur, cum esse bonum. Quare ita dixit, Sat tibi sit esse. Quòd si uideri etiam uis, & iudex tui posthac esse potes, tibi uidearis, inquit, & satis est.

Alia capitis expositio. *Cap. 45.*

An uerò alium etiam usum præbet hoc caput? uidetur enim mihi admirabilis hic uir cum tutò oratione utatur, ubi quid dixerit, quod secus intelligi possit, statim prauum hunc sensum corrigere. Cum itaq; prius dixisset, si perduraris in iisdem, qui te prius deridebant, posteà admirabuntur. Si uictus cesseris, dupla irrisione afficieris. Cumq; uisus esset ex iudicio externo auditorem suspēdere, his uerbis à rebus externis abstrahit atq; auertit, & ab existimatione externorum, quæ extrà animum trahit atq; coinquinat, ad seipsum purissimum ac mundissimum reducit, ut ne amplius stolidus sit, sed usum aliquem præbeat. Videri enim sapientibus iudicibus bonum esse, argumētum reuera idoneum est, aliquē bonum esse. Ad hoc igitur, arbitror, respiciens, dixit, tibi uidearis, & satis est.

Solutio emergentium in eius animo cogitationum, qui philosophiam aggreditur. *Cap. 29.*

Hæ te cogitationes ne erucient, honore carebo, neq; usquam ullus ero. Si enim carere honore malum est (ut certe est) non potes in malo esse propter aliū, non magis quā in turpi. Nunquid igitur tuum opus est, principatu potiri, conuiuio accipi? Minimè. Quomodo igitur hoc est, honore carere? Quomodo uerò neq; usquam ullus eris, quem in ys solis esse oportet, quæ sunt in te, in quibus tibi ipsi maximo esse licet. Sed amicis prodesse non potero. Quid tu ais prodesse? Non habebunt abs te argentum, neq; eos ciueis Romanos facies. Quis tibi ergo dixit, esse hæc in nobis, & non aliena opera? Quis autem potest dare alteri, quod ipse nō habet? Posside igitur, inquiunt, ut & nos habeamus. Si possum possidere seruans memet uerecundum, fidum, & magnanimum, ostende uiam, & possidebo. Si uerò æquum ducitis mea me bona perdere, ut uos, quę bona non sunt, acquiratis uos ipsi uidete, quàm iniqui sitis, quamq; ingrati. Quòd si fidum, uerecundumq; amicū argento prę ponitis, in hoc uos mihi opitulamini: Neq; ea me agere æquum ducite, quibus hoc perdam. Sed patria, quantum in me erit, adiumento carebit. Rursus quod tu hoc ais adiumentum? Porticus non habebit per te, neq; balneas. Quid tum? neq; enim calceos habet per fabrum, neq; arma per cerdonem. Satis est autem si quisque suum opus expleat. Quòd si ei quempiam alium compares ciuem fidum & uerecundum, nihil'ne ei prodes? utiq;. Neq; tu igitur inutilis illi eris. Quo igitur ordine in ciuitate ero? quo poteris, seruans simul te fidum & uerecundum. Quòd si dum illi prodesse uelis, hæc perdas, quem tu illi usum afferes, qui imprudens, infidusq; euaseris?

Non dolendum honorum priuatione: & quomodo officia tractanda *Cap. 46.*

Eorum, qui sui curam gerunt, alii ab aliis quibusdā trahuntur, & ex illis cōtrouersias sibiq; & hortantibus ipsos ad meliora opponunt. Atq; illi quidem, qui nunc instituii incipiunt, cum humiles adhuc atq; abiecti sint, aiunt, si mea neglexero, carebo alimentis: Nisi seruum puniero, improbus erit. Qui uerò iam profecerunt, hac tanquā parua despiciūt, & confidunt, licet ita inutiles ad omnia euadant, ut fame perituri sint: ab officiorum tamē usu, uelut bono atq; honorifico, retrahuntur. Honorem enim puriorem ii appetunt, ac de decus declināt, & amicis opē ferre uolunt ac patriæ, atq; inde cōtrouersias ducūt, quas Epictetus dissoluit pulchrè per omnes percurrens. Ac primam quidem eam ponit, quæ ab honorum priuatione sumpta est, si discedam ab externis, & à foro, in quo homines præclari uersantur ex Homeri sententia, sine honore uiuam, nec usquam ullus ero. Soluit autem ita potestate syllogismū colligens, Honoris priuatio malum est: Malum in nobis est, ut etiam bonum: Quod in nobis est, nunquam per alium, aut ab alio nobis inesse poterit: siquidem non amplius in nobis esse diceretur. Honoris igitur priuatio quando in nobis adfuerit, & in nobis est, licet nos aliqui honore defraudent, uel non defraudent. Quare non formidandum est, ne ab aliis honore priuemur, nec prorsus honoris defraudatio existimanda ea est. Siquidem honoris defraudatio, cum malum sit, in nobis est. Verùm deinceps, quomodo

ſumpta an uera ſint, diſpiciamus. Honoris fraudatio, inquit, malum eſt. Si enim bonum honor eſt, ut omnes fatentur, honoris priuatio certè malum erit. Si enim bonum eſſet, honorificum foret, non honore carens. Prætereà ſi honor bonum eſt, quando bonis omnibus conuenit, Deo enim & melioribus, & bonis uiris honor cõuenit, quatenus bonus eſt: Patet honoris priuationem malam eſſe. Si enim contrario contrariũ ineſt, cõtrario quoq; contrarium inerit. At honor & honoris priuatio contraria ſunt: bono item malum. Bonum autem noſtrum & malum (liberi enim ſumus) in nobis eſſe, ac in noſtra electione, nec quicquid non electione noſtra fieri, prius, puto, demonſtratũ cũ ſit, nõ amplius inculcandum eſt. Si igitur in nobis eſt honoris priuatio, & in nobis eſt ubi affuerit, certè honore nõ carebimus propter externa, licet prorſus ea deſpiciamus. Si enim in nobis non eſt, principatum conſequi, aut in conſilium adhiberi, aut conuiuio accipi, non aſſequi hæc, noſtrum malum non fuerit. Quare neq; ignominia: ſiquidẽ ignominia malum eſt. At quid ſibi uult illud, Non potes in malo eſſe propter alium, non magis quàm in turpi? Nam claudicare uidetur ſententiola. Videtur autẽ non poſſe in malo eſſe propter alium, tanquam ab euidentioribus, uelut enim bono honeſtũ euidentius eſt *, corrigere eius occulta unione. Quare demulcet ac allectat, accitq; ad ſe, & amorem omnibus indit, ut ad ſe reſpiciãt ac reuertãtur. Ita turpe clarius eſt ac euidentius malo. Turpe autem dicitur, uti præter decorũ uoluptatibus. Hoc autem ex electione, nõ propter alium quẽpiam euenit. Delectatio enim noſter motus eſt. Non magis nõ poteſt quis in malo eſſe propter alium, quàm in turpi. Patet uerò nec in malo quoq; propter alium eſſe. Si itaq; non poteſt quis in turpi eſſe ob alium, non magis autem in malo eſſe poteſt ob alium, quàm in turpi, patet autem nec in malo eſſe ob alium: cũ idem ferè ſit, in malo, atq; in turpi eẽ. Nam & malum ſimiliter in nobis eſt, ut turpe. Num uerò dilucidior reddetur oratio, ſi particulam negantem tranſponamus, ut ita ſit, magis ſic quàm in turpi, atq; ita dicat, non potes in malo eſſe propter alium, ut à maiori orationis cõfirmatio ſumatur. Haberet autem ueritatem quãdam is ſermo, ſi cogitemus bonum & malum apud rhetores laudabili ac uituperando figurari (ex iudicio enim multitudinis accipiunt) Vtile uerò & inutile, ideſt iuuans & noxium, hoc eſt bonum & malum non impoſitione quadã aut iudicio hominum, ſed naturà eſſe aiunt. Tanquã igitur conſentiens huic hypotheſi, quæ turpe ex uituperantium iudicio ſtatuit, dixit, nõ potes magis pp alium in malo eſſe, quàm in turpi. Si igitur in turpi propter alium eſſe nõ poſſumus, ut prius dictũ eſt, magis autem propter alium in malo eſſe non poſſumus, quàm in turpi uidelicet, certè prorſus impoſsibile eſt in malo propter alium eſſe. Quomodo autem inquit, nec ullus uſquam eris, niſi facultatem ciuilem habueris? An immemor es non hunc eſſe locum, in quo bonum & malum humanum uerſetur, ſed in appetitu ac declinatione, ac demũ in his, quæ in te ſunt, in quibus maximo tibi eſſe licet, ſi ſecundum naturam in ipſis te gerere uolueris. Cum igitur & locum boni in te ipſe habeas, & in ipſo maximus eſſe poſſis, cur ais, nullus uſquam ero? Iccirco uidelicet, quia tũc in externis bonum ſtatuis, quæ contẽnere oportet, qui legitimè philoſophari uelit. Quinetiam ſi taceam, poſſum in me ipſo maximus eẽ. Amici, inquit, adiumento carebunt. uerba eius, qui aliquatenus profecit. Is enim quãtum in ſe eſt, plerunq; externa deſpicit, opem tamen amicis ferre pcupit, bonum id ac honeſtũ eſſe exiſtimans. Ac propterea pecunias quandoq; ac ciuilem facultatem optat, ne inutilis ſuis amicis ſit. ſoluit itaq; hanc quoq; cõtrouerſiã, & ab eo, quod in nobis eſt, & quòd maiori uſui ſit amicus, qui ſeipſum fidum in amicitia præbeat, quàm qui pecunias ac principatus ſuppeditet. Ac primò quidem ab iis quæ in nobis ſunt. Quoniam pecuniæ ac ciuiles opes, atque honores non ſunt in nobis. Si quis enim qui philoſophetur forte hæc habeat, donet aliis alacriter, beneficium potius ex hoc accipere quàm dare putans. Si autem careat, nullam amicitiæ iniuriam facit. Quis enim alteri dare poteſt, quod ipſe non habet? Verùm ſi fieri poteſt ut acquiram ſeruãs memet fidum erga uos amicum, & in me ab om-

nibus, quæ ignominiam philosopho ac notam inurunt, purus ac mundus, ostẽde uiam, & acquiram. Videtur porrò is uir permittere, ut & lucretur interdum propter amicos, ac facultatem ciuilem retineat, si possit hæc comparare, ac uitam suam pro decoro secundum naturam conseruare: si uerò id sit impossibile (ut ferè semper est) & necesse sit qui hæc cõparare uelit, tenorem sui boni amittere, hoc est, pos fide, ut & nos habeamus, ut suum bonũ perdat petunt, hoc est rationalis animi bonũm, ut ipsis quæ sua bona non sunt acquirant. Non sunt enim quæ ipsi quærunt rationalis animi bona, per quem homo est homo, sed appetenda aliarũ cupiditatũ. amentes igitur ii sunt & iniqui. Iniqui, quia non amici. Quando amicitia, ut Pythagorici uolunt, nihil sit aliud, quàm æqualitas. Et quia iniquum est, ut in extremum malum quis amicum iniiciat, ut irrationalem suum expleat appetitum. Amentes autem, cum quia ei, qui seipsum illis totum concessit, talia imperant: tum quia discrimẽ dignoscere nequeunt & eius quod perdit amicus ipsis parens, & eius quod ipsi acquirent. Quòd illud scilicet maximum illi sit bonum: Hoc nõ bonum solùm eorum proprium, sed quandoq; etiam malum. Amẽtes autem ipsos ac stultos fortasse ob id, quod inferius infert, appellat. Quoniam argentum fido amico anteponunt atq; uerecũdo. Et idcirco etiam euidentius ostendit eum amicis penitus non fore inutilem, sed uel utiliorem præbentibus argentum. Nam si ex seruis qui fidi ac uerecundi sunt, artificibus ac industriis utiliores sunt, & dominis chariores: quantò magis eiusmodi amici donantibus argentum chariores sanæ mentis hominibus erunt? Nam & ad conuictum & cõsilium ii & ad rerum charissimarum custodiã & preciosarum, in periculis, in morbis, etiam post mortem, fidi amici utiliores apparent, nihil ab amicis, qui eorum opera utuntur, dissentientes. Si igitur re uera amici sunt, opitulabuntur amico, ut fidus ac uerecũdus maneat, etiam ad id, quod utilius sibi sit, respicientes. Non autem illa facere æquũ ducent, per quæ amittet, ne amplius fidus aut utilis amicis sit. Impossibile quidem est per eadem hanc quoq; cõtrouersiã dissoluere, quoniam eorum, quæ in te sunt, dominus es. Quis autẽ tibi dixit, in te esse porticus & balneas patriæ parare? Quis autem alteri dare potest, quæ nec ipse habet? Et licet audias, posside ergo, ut & patria habeat, priora illa respõdenda. sed relinquẽs hæc nobis tanq̃ cõmunia cogitãda, magis specialem ac cognatam multa cum euidentia aduersus patriam responsionẽ, seuerè grauiter dedit. Quid, inquit, ad te, si per te patria porticus non habebit, nec balnea? Neq; enim calceos propter fabrum ferrarium habet, sed per suturem. Neq; arma per suturem, sed per armorum fabrum. Omnis enim urbs tũc utiliter sibi ac iustè gubernatur, ubi unusquisq; qui in ea habitet, suum opus elaborans, non sit curiosus de aliis, sed faber & aliorum quilibet id genus, suum opus utile urbi præbeat. Ego uerò, dicat forte qui philosophatur, quid ipsi prodero? Cui rursus pulchrè respondet. Si alium, inquit, in ipsa fidum ac uerecũdum ciuem reddidisses, nónne aliquid utilius fabro comparasti? Quare maximè quidem & alios tales efficias, partim admonẽs ac docens, partim exemplum honesti ac boni ciuis præbens. Si uerò te ibi talem præstabis, utiliorem te præbes ipsi quàm alii faciant. Quotus igitur, inquit, mihi locus in urbe, ut aliorũ quilibet habẽt, hic magistratus, ille exercitus præfectus, alter rerum ad uitam necessariarũ artifex. Ipse itaque cõmuniter ad hoc respondit, ut quem possis locum habere, erga urbẽ seruans te fidũ ac uerecundũ, hunc retineas. Quòd si iuuare uolens in porticus atq; balneas fidem ac uerecũdiam cõsumpseris, ne in illis quidẽ forte profuisti ciuitati, ubi semel infidus ac impudens euaseris. Vtrum porrò ipsi urbi pulchrius est, ciues'ne fidos habere, & uerecundos, an porticus atq; balneas?

Qui locus in ciuitate philosopho tenendus sit. Cap. 47.

Quærendum tamen quem locum in urbe philosophus habiturus sit. An ut sit hominum formator, & fidorum ac uerecundorum ciuiũ opifex? Nam in opere alio nullo uersabitur, quam ut seipsum & alios ad uitam secundum naturam homini conuenientem p̃paret. Et communis omnium pater erit, magister, emendator, consultor, atque curator

Libenter se omnibus præbens, & omnis boni adiutor existens: Secunda fortuna utentibus gratulans: tristium uicem dolens, ac ipsos consolans. Et illa demùm præstabit, ut qui se locum proprium in ciuitate atq; ordinem habere putat, in omnes homines beneficam diligentiam pro uiribus. Si uerò ad aliquod in urbe separatum ac priuatum studium ipsum uidere uelis: In bonis ac bene moratis rebusp. princeps is omnium creabitᵉ, uelut omnibus superior, & pastoris erga oues rationem habens. Consultor item, perquàm prudens. Et imperator, si rerum bellicarum sit gnarus, tanquam aliis fortior, ac cõsilio potentior. Nam Socrates ipse in eo prælio, quod in Delo est gestum, fortissimè se gessit, ac præmia fortitudinis tulit. Vt cum per medios reuerteretur hosteis, unum aiunt nemo adoriri ausus est, cum omnes eius animi magnitudinem cum stupore admirati essent. Quinetiam ipse Xenophon decem illa hominum milia conseruauit, & in ludis Olympicis per præconem pronunciatus est. Illud tamen non ignorandum est, deteriores resp. in uniuersum animis officere, & maxime diuinum illum fulgorem extinguere, atque honestiora studia despicere, bonæq; uitæ exempla delere. Quare etiam ad bene uiuendi initium animos præpediunt, & ad sedem ac firmamentũ in ipsa capiendũ, si tamen in ea rep. animus diuino numine corroboratus inuentus sit, iam si in ipsa asperius exerceatur, perfectior ac consummatior ad uirtutẽ redditur. Verum igitur est, omnem fortunam ac euentum omnem, tam tranquillum quam asperiorẽ, ad utilitatem illi conferre, qui oĩbus in rebus bonum ex prudenti electione sibi comparat.

Continuatio eorum solutionis, quæ philosophari incipientem impediunt. Ca. 30.

Præpositus tibi est quispiam in conuiuio, aut in salutatione, aut in consilio. Si bona hæc sunt, gaudere te oportet, quia his potitus sit: Si mala ne ægrè fer, quia tibi non acciderunt. Memento autem non posse te, cum eadem non facias, paria cum cæteris consequi in iis, quæ in nobis non sunt. Quomodo ergo paria habere potest, alicuius fores non frequentans cum eo, q frequentat? non deducens cum deducente? Non *laudans cum laudante?* Iniustus igitur eris atq; inexplebilis, si iis non solutis, quibus illa emuntur, ea gratis uolueris. Sed quanti emuntur lactucæ? *Obolo, si ita contingat.* Vt igitur cum quis obolum præbens accipiat lactucas, tu non præbens non accipias, haud minus habere te censes eo, q accipit? Vt enim ille habet lactucas, sic tu obolum, quem nõ dedisti. Eodem modo hic euenit. *Non uocaris ad cuiusquam cõuiuium.* Non.n. uocãti, quãti cõuiuiũ emitur, dedisti: laude id uendit, ministerio uẽdit. Da igitur, si tibi cõducit, quanti emitur. Quòd si & illa amittere non uis, & hæc accipere, ĩexplebilis es, & stolidus. *Nihil igitur habes pro cœna?* Nempe habes, quòd non laudas, quem non vis, quòd non ea perfers, quæ ad eius limen perferuntur.

Aut non dolendum eorum, quæ bona uidentur, priuatione: aut molestias quibus ea parantur, non recusandas. Cap. 48.

Hic sermo quoq; pars prioris esse uideť, aduersus reliquas cõtrouersias respõdens, quæ ab eodem habitu adducantur. Qui enim ad seipsum cõuertitur, & externa aliis relinquit, diuitumq; ac principum obsequiũ despicit, sine honore degere. uidetur, cum ibi præponantur multi & in conuiuio ac salutatione, & quòd ad consilium magis quàm ille admittantur. Ac poterat quidẽ hic quoq; ab eo quod in nobis est, quodúe nõ est, cõtrouersiã soluere. Si enim bona nostra à nobis sunt: hæc uerò in nobis non sunt, certè hæc nostra bona non erunt. At is hunc solutionis modum prætermisit, & tanquàm communem, & tãquàm iam sæpe dictum. Alio autem magis proprio & ad rem accomodato utitur, quiq; aliam maiorem utilitatem ex iis bene utentibus ostendat. Ait itaq; hæc in quibus alii anteponuntur, iis, qui uitam meliorem elegerunt, aut bona penitus sunt, aut mala. Adiiciatur, ut perfecta diuisio sit, uel indifferẽtia ac media. Multa enim sunt eiusmodi. At si in differentia sunt nihilo magis honore, quam dedecore digna sunt. Quare hanc diuisionis sectionem neglexit. Aut igitur bona, aut mala sunt. Si bona, gaudere te oportet, quia potitus iis est ille, hoc est ea ui quæ in te est, quæ omnibus bona optat, & compotibus gratulatur. Animaduerte

porrò quantum bonum in hac, quæ ignominia uidetur, delitescens ostendi. Hæc enim propriè est Dei similitudo, qua nihil melius iis, quæ post ipsum sunt, accidere potest. Ipse enim Deus ui præditus omnium potentissima, ac omnis potentiæ auctor existens, uoluntate itē optima, cum bona omnia, malum nihil esse uelit, quoad eius fieri potest: cum par autem uoluntati sit uis eius, omnia bona facit, quantum quodlibet eius bonitatis particeps esse potest. Humanus uerò animus uim quidem summam habere non potest, cum multis & ipsis post Deum positis ui inferior sit. Voluntatē tamen habuit à Deo liberam, quæ omnibus bona uelle possit, cum id ipsa uoluerit. Meritò igitur in hoc maximè Deo similis est, quatenus per hanc uoluntatem agit, licet non omnia bona facere possit, uelut Deus. Sed cum quæ possit bona faciat, quantum in se est, omnia bona facit, & quot uult. Tunc.n. uoluntas uerè est uoluntas & pfecta, cū uis ipsam uniuersa uolentis adiutat. Eorū enim quæ in nobis sunt, cōpotes sumus, & uelle omnibus bona in nobis est. Atq; uult bonus homo, omnes homines bene agere, nec eos solùm, sed & muta animalia, & plantas, & usq; ad inanima uoluntatem porrigit. Non tamen potest, quot uult. Quare uoluntas quidem in nobis est, ipsa autem potentia non in nobis, sed multis aliis caussis indiget, & quæ nobis meliores sunt. Et idcirco bonum in uoluntate habemus, quoniam ipsum in nobis est. Verùm hæc hactenus. Si uerò secundum naturam, hæc de quibus sermo est, mala sunt, ne ægrè feras, sed gaude rursum, quia tu ea non es consecutus. Ita uir bonus non ignominiæ loco ducet, ea se non assequi: sed si bonū sit, quia alius potitus, si malum, quia ipse non nactus est, lætabitur. Atq; ita ab utili mœrorem quòd ea non consecutus sit, leuat. Siue enim bona hæc sint, maius bonum quia non consecutus sit, qui Dei similis esse uelit, ostendit: Siue mala, non nancisci bonum est. Deinde à possibili, & postea à iusto argumenta ducit. A possibili, quia impossibile est, non obsequentē uocanti ad conuiuium paria ab ipso consequi, quæ obsequentes consequuntur. obsequium autem horum, limen frequētare, deducere ad forum, laudare quæ ab ipso dicuntur & aguntur, qualiaqualia fuerint. Te igitur hæc cū non facias, si uis philosophari, paria consequi impossibile est, quæ facientes consequūtur. Porrò inquit est iniusti & inexplebilis, non dando ea, quibus uendit cœnā, uelle ipsam accipere. Iniustum quidē, aliena concupiscere: Inexplebile, uelle cœnam sumere, & quanti emitur, non dare. Deinde nihil minus habiturum eo qui cœnat, te qui non cœnas, dilucidè exemplo lactucæ indicat. Illo enim habente cœnam, tu, inquit, quod cœna preciosius ac charius est, tuā habes libertatem, ut non laudes, quem non uis: Non perferas ibi, quæ in limine perferuntur. Quòd si hæc uis, & simul cœnā habere, & iniustus es, & inexplebilis. Et cum talis sis, etiā stolidus, quia non erit quo, si conferaris, melior sis.

Quæ sunt communia etiam ex naturæ uoluntate. Cap. 31.

Voluntas naturæ perpendi ex his potest, in quibus alteri ab alteris non differimus, uelut cum alienus puer fregerit poculum, in promptu statim est, esse id ex ijs quæ fiunt. Scito igitur cum tuum fuerit fractum, talem te esse oportere, qualis fueris, cum alienum frangeretur. Idem ad maiora quoq; transfer. Alienus obijt filius, aut uxor. Nemo est, qui non dicat, humanum id esse. Sed cum suus cuiusq; obijt, statim, hei mihi, & me miserum. Oportebat autem meminisse quid nobis accidat, cū de alijs idem audimus.

Eundem affectum in rebus nostris, quem in alienis præstandum. Cap. 49.

Communes hominum de rerum natura sententiæ, quibus non distamus, sed concordamus inuicem homines, ut, Bonum utile esse, & Bonū omnia expetere: Aequale nec eminere, nec cedere: bis duo quatuor. Hæ igitur sententiæ, & quæcunque eiusmodi, quæ secundum rectam rationem in nobis consistūt, ac multo tempore examinatæ sunt, ueræ sunt, & rerum naturæ aptæ. Priuatæ autē singulorum sententiæ, uel sæpenumero fallunt. Nam quæ ex sensu decepto sumuntur, ut Lunam Soli magnitudine æqualem esse: Aut ab irrationali appetitu, ut quæ ait, uoluptatem bonum esse: Aut à ratione inconsiderata, ut quæ asserit, duo omnium rerum primordia, & animum corporeum esse putat. Hæ igitur & cæteræ

teræ similes, quibus differimus, nõ prorsus ueræ sunt, sed q̃doq; cõtrariæ his ueræ sunt, nec tutũ nobis ẽ ex iis rerũ naturã dignoscere, quã uidebat naturæ uolũtas. Quòd uerò priuatæ incertæ ac incõstantes: cões stabiles ac firmæ sint, argumẽto id est, q̃ idẽ hõ eũdẽ affectum aliàs, si ipse patiatur, impatientius ac irrõnalius ferat: aliàs, ubi alteri contigisse id conspexe rit, minus. Cum minore enim affectu ac uerius tunc uidet, & cum aliis conuenit hominibus, qui non afficiũtur: nec ex affectu, sed ex ratione iudicãt. Idq; in uili exemplo atq; humili, hoc est in poculi fractione. Cum enim alterius seruus poculũ effregerit, in promptu nobis est, & aliis qui sine affectu iudicãt, dicere: ex iis quæ fiunt, esse, ut puer interdum aut deiiciat, aut illidat, aut dimittat ipsum: Vitrum autem illisum aut dimissum fractum esse. Vbi uerò nostrum fractum fuerit, dolemus, tanquàm nouum quid nobis acciderit. Atqui oportebat & tunc cogitare, id ex iis, quæ fiunt, esse. Idem quoq; ad maiora transfer, si filius alterius, aut uxor decesserit, nemo est quin dicat, humanum id esse, quod accidit, iuxta communes sententias, ac naturæ accidentes iudicans tunc quod factum est. Mori enim hominem humanum est, hominis mortalis naturæ uerè conueniens. Verùm ubi noster obierit, statim hei mihi, & me miserum, & eiulationes, & tragœdiæ, tanquã id nobis modò præter naturam euenerit. At meminisse par erat, quomodo alio flẽte nos afficimur, quia tunc rectè expendimus, non rem perturbare ipsos, cũ naturalis sit & ex necessitate eueniat, sed eũdem affectũ, quo circa rem afficiũtur. Duplex igitur hoc est, irrationalis consensus, & qui suprà q̃ deceat datur, animi rationalis erga mortale corpus, & quod mori par sit, nõ autem uiuere, tanquam æternum futurum sit. Atq; id maximè percellit ac turbat, quod insperatò eueniat. Si enim meditatio præsumeret, ac in imaginatione assuefieret, non adeò perturbaret & tristitia afficeret. Cuius rei argumẽtũ, puto, maximũ est, quòd qui maxima cũ concitatione affecti sunt, post breue tẽpus propter cõsuetudinẽ, tanq̃ nil tale acciderit, placentur ac mãsuescant, & tũc sentẽtias secũdum naturã cõsiderẽt sibiq; ꝓponant, humanũ esse: hominem mori necesse esse: nos quoq; breui intellecturos. At si postquàm euenit propter separationis usum, adeò facile eam perferimus, certè etiam antequàm eueniat, ut arbitror, si ipse separationis assueti simus, non amplius eam tam perturbatè accipiemus. Vt uerò non semper ea ante oculos habentes ad ipsa assuescamus, caussæ duæ sunt. Vna, quòd rebus ꝑsentibus multitudinis animi semper imprimantur, ita ut cum fortuna secũda utuntur, semper id fore sperent: Et cum quid molestum accidit, nunquàm eo se liberari posse confidant. Altera, quæ hac nihilo est minor, multus & immodicus cõsensus, quo uel separationis imaginatio acerbissima ipsis est. Nullus uerò libens in molestiis uersatur. Cõsensui igitur moderari maximè debemus, iudicãdo rectè, q̃d cõsensum ꝓbeat & cui, alienæ uidelicet rei. Vsus quoq; ac separatio multa ꝓtermittẽda est, & in uerbis fugiendus cõsensus eorum, qui cum affectu loquuntur, & multò magis in operibus.

Mali naturam in mundo non esse. Cap. 32.

Queadmodũ non ideò sagittary signum figitur, ut nõ attingatur: Sic neq; Mali natura in Mundo fit.

Duo rerum principia, hoc est bonum & malum esse non posse, Cap. 50.

Quoniam tractatio de malorum subsistentia non exactè discussa, & impietatis erga Deum auctor fuit, & morum boni usus primordia perturbauit, in multasq; ac insolubiles dubitationes eos inieeit, qui non benè ipsi caussas tribuunt: siue quis Malum principiũ uocet, ut sint duo rerum principia, bonum scilicet & malum, multa & magna absurda emanant. Hæc enim princeps dignitas cum una sit, & communiter existens in utrisque, quæ contraria sunt, unde ad ipsa uenit, si ab una caussa quæ ad ambo spectet, sunt? Quomodo demùm hæc contraria erunt, cum sub unum cõmune genus non reponantur? Non enim quæ differunt simpliciter, contraria sunt. Nemo enim dixerit album calido contrariũ esse, aut frigido. Sed quæ sub idem genus plurimùm inter se distant, ea contraria sunt: Album nigro, cum color ipsis cõmune genus sit. Ambo enim similiter colores sunt. Calidum item,

frigido, quorum genus est tactilis per eadem qualitas. Et propterea ut ipsa Contraria sint principia, impossibile est, quoniam necesse est ante ipsa existere ipsum commune genus. Tum etiam, quoniam ut ante multitudinem ipsa unitas sit necesse est, siquidem singula ex multis unum esse necesse est, secundum unius illius primi participationem, aut nihil penitus eẽ. Praeterea ante omnem proprietatem princeps unitas sit necesse est, qua omnis ꝓprietas, quae in multis partita ac dissecta est, fulciatur. A divino enim ac principe Bono, honesta ꝓdeunt omnia, & à prima illa ueritate omnis ueritas proficiscitur. Est itaque necessarium & multa primordia ad unum primordium reuocari, non illud partiale primordium, ut singula alia, sed quod primordiorũ primordium est, & exceptum, omniaq; ad se trahens, atq; omnibus à se principem exhibens dignitatem pro cuiusq; natura, cum decenti tamen singulorum subiectione. Ita igit̃ perabsurdũ est, si quis duo aut plura deniq; uno prima statuat primordia. Porrò q uniuersorũ primordia duo eẽ asserũt, bonũ uidelicet ac malũ: Bonũ illud, qui apud ipsos uocat̃ Deus, haud amplius oĩum cãm eẽ dicere cogunt̃, nec item oĩpotentẽ iure celebrare, nec uim ipsi summã & totã tribuere: Sed totius potentiae dimidiũ habere, si modò & id sit: Nec existimare ipsum omnia bona reddere ac illustrare, cum fons Bonitatis uocetur & lucis. Quot praeterea & quanta in Deum conuicia ac maledicta ex eorum uerbis necessariò sequuntur. Timidum enim ipsum inducunt, qui malũ, ubi ad suos terminos peruenerit, ne intrò transiliat, uereat̃: Et ob hãc timiditatem ac formidinẽ iniquè & inutiliter parteis sui & mẽbra aĩos, ut aiunt, qui prius nihil peccassent, in malum proiecit, ut reliqua bona cõseruaret. Velut imperator, inquiũt, inuadẽtibus hostibus, partem sui exercitus caedendã obiicit, ut reliquã reducat incolumẽ. Hi enim sunt ipsorum sermones, quãuis forte nõ iisdẽ uerbis. Qui uerò animos proiecit, ut ipsi aiunt, aut proiici iussit, uel oblitus fuit, uel non cognouit, quae 'nã passuri sint animi, si malo dediti sint, quòd concremantur, atque uelut in sartagine assantur, ut inquiunt, uitianturq; penitus, cum nec quicquam prius peccassent, & partes Dei sint. Ad postremũ autem inquiunt, qui impii fuerint (tales uerò sunt apud eos, nõ qui caedem aut adulterium fecerint, aut aliquid tale inexpiabile ob uitã perditã perpetrarint: sed qui duo primordia omnium negant, Bonum uidelicet & malum) hi itaq; nihil amplius ad bonum respiciunt, sed manent malo conglutinatae: ita ut imperfectus ac mancus ille maneat partibus suis amissis. Quinetiam amens ex eorum sententia est (ne enim sit haec mea oratio) cum nec quod sibi utile sit, ratiocinatione consequi possit, nec mali naturam cognoscat. Quì enim in boni partem ingrediatur ipsum malum, cum ab aeterno diiudicatae sint ipsis sortes, ut aiũt, & pro ipsorũ natura cõstitutae? A quo 'nam igitur dicũt? Certè ex casu, atq; ita Casus apud ipsos principium fuerit, aut ab aliquo quod supra ea sit. Vt uerò id apud eos, antequàm factus esset mũdus, se habeat, tanquam in terra distributionem faciunt. Treis quidem parteis, orientalem, occiduam, atque septentrionalem Bono adscribunt: Meridionalem malo. Nam & quinque illa Mali penora, uelut antra quaedam supponunt. arbores item & animalia ibi terrestria & aquatilia confingunt, quae semper inter se dimicent, & à Pentamorpho, hoc est quinqueformi, ut aiunt, deuorentur. Cum tamen incorruptibilia omnia illa dicant̃, ut & ipsa prima Bona. Distinctis itaq; atq; assignatis locis secundum naturam ab initio, quì fieri poterat, ut in Boni portionem Malum irrumperet? Quì fieri poterat, ut contrarium ipsum? Ita enim album manens album, nigrum erit. Et lux manens lux tenebras recipiet. Si itaq; haec impossibilia sunt, nónne est, nõ timidum & iniustum dico, sed demens ac stultum, animum in malum proiicere, & hucusq; molestias habere, ut ipsi loquunt̃, quòd ipsum perfectè reuocare non possit? Nec posse speret, propterea quòd quidam, ut pauloantè memini, animi ex eorum sententia in malo deinceps infinitum aeuum maneant? immo ne praenosse quidẽ hoc eum aiunt. Cum tamen ipsum Malum praenosse affirment expeditionẽ, quae cõtra ipsum mittenda est, & machinamenta aduersus ipsam excogitare. At quantò honestius fuisset ma-

lum ipsum circa semet collidi sinere, quàm seipsum malo immiscere, cum euitari aut exuperari nō possit. Ingenitū quippe & incorruptibile malum pariter esse ut bonū asseuerant. Nam & id quoq; quispiā dissimulare posset, quòd similiter hæc bono & malo inesse aiunt, ut ingenita, incorruptibilia, summi imperii, & infinita. Quibus quid magnificātius aut uenerabilius esse possit? At qualia de Mundi creatione garriūt, colūnas quasdam asserētes, non illas, Queis Tellus cœlumq; simul fulcitur utrinq;. Haud enim æquum ducunt quicq̄ quod dicatur, fabulosè intelligere, sed qualeis quidam ex eorum grege protulit, ex solido lapide, & citra sculpturam eas esse existimant, duodecim prætereà fenestras, quarū una singulis aperiatur horis. Solis porrò defectionū caussarum explicationes, miram quādam sapientiæ excellentiam p̄seferunt. Aiunt enim cum in mundi creatione mala colligata strepitum ac tumultum efficerent in suis cōmotionibus, obuelamēta quædam à luminaribus eorum promanasse, ut illorum perturbationis participes non essent. Atque id esse deliquia, absconsiones uidelicet eorum sub uelamētis. Quàm porrò id absurdum & prodigiosum est, ex oībus quæ in cœlo sunt, sola duo colere luminaria, cum ea è boni ipsius portione esse dicant: Alia uerò despicere, tanquam è mali parte sint. Lunæ lucem prætereà non à Sole proficisci arbitrantur, sed animos esse, quos cum à nouilunio usque ad plenilunium è terra attraxit, à plenilunio rursus usq; ad nouilunium in Solem transuehat atq; transmittat. Et quid longius moror? Monstra enim sibi quædam componentes, quæ ne fabulæ quidem uocari iure possunt, non iis tanquam fabulis utuntur, nec quicquā aliud se demonstrare arbitrantur, sed tanquam ueris iis, quæ dicuntur, fidem habent. Fingunt ipsum malum quinqueforme, è leone, pisce, aquila, & nescio quibus aliis compositum aīalibus: Idq; ne inuadat, reformidant. Ea est in his sermonibus erga Deum impietas. Et quod mirandum est, oīa hæc pia quadā rōne ducti cōfinxerūt. Cum.n. Deum mali caussam esse dicere nollent, principium quoddā peculiare mali, honore ipsi ac uiribus par bono constituerūt, aut potius potētius. Nam hactenus quidē in oībus ipsorum argumētis eminētius apparet ipsum malum. Atque id bonum ubique iuxta ipsos captare uidetur, ac moliri omnibus artibus ne ipsum amittat. Bonum uerò, ut ii aiunt, inuitè seipsum malo īmiscuit, & timidè, iniquè stulteq;, ut ipsi uolunt, hactenus uersatum est. Quare cum uitant ipsum mali auctorem dicere, pessimum describunt: Et, ut prouerbio fertur, fumum fugientes in ignem inciderunt. Adeò itaq; impius erga Deum is sermo est. Principia porrò naturalis administrationis, quātum in se est, corrumpit, cum liberum arbitriū reuera è medio tollat. Mali enim primordium ingenitum, incorruptum, & ualidum inducit, quod ui animos ad malū propellat ac præcipitet: Ita ut non amplius in nobis sit, peccare, aut non peccare. Cum adeò potens sit, id quod cogit, ut ne à Deo quidem, ut aiunt, superari possit. At qui cogitādum illud fuerat, animos, si à potentiore aliquo coacti cædē aut adulterium cōmittant, aut quid eiusmodi quod malū dicitur, fecerint impulsione, non libenter, inculpabiles fore. Quæ enim ui & inuitè cōmittuntur, ut quæ flagitiosa nō sint, tam à Deo, q̄ à legibus ueniā impetrant. Atq; ita peccatum nihil prorsus erit. Nemo enim malum esse statuet, nos à potentioribus caussis coactos talia cōmittere. Si itaq; horum, ut quæ mala sint, caussam scrutantes, mali primordium cōstituerunt: Illo uerò supposito ac cogente, nihil amplius malum est: Certè perurbanè sermo eorum conuersus est. Colligitur nempè, si sit mali principium, nihil penitus esse. Quòd si non est malum, ne primordium quidē mali fuerit. Quocirca si mali est principium, ut aiunt, nec malum erit, nec mali primordium. Ita igitur adeò euidēter hac hypothesi conuicta, si quis hanc confutationem subterfugiēs, Deum mali ut boni quoque auctorē dicere audeat: Breuibus is quoq; & impius in Deū & mendax arguitur. Qui enim uerus fuerit sermo in Deum impius, qui ueritatis præfectus est? Ac primò quomodo Deus cum bonus summa illa & īmutabili bonitate sit, malum à seipso producet? Si enim malum bono contrarium est, ut dubitantes cēsent, quomodo è contrario deriuabit ac permanabit

à contrario? Præterea qui à se ipso aliquid producit, & caussa existens, ut illud sit, caussam eius habens, & secundum illam consistens, deducit per caussam, atq; idem est, quod ipsum productum per subsistentiam. Quare ratio ea per inscitiam non euidéter solũ in Deum impia est, uerũetiam principium mali & primum malum ipsum Deum, ut prior illa, inducit. Si itaq; neq; ipsum malum habet principium, neq; Deus mali caussa est, unde nam malũ? Impossibile enim est quicquã sine caussa generationem obtinere. Aut certè primũ oportet quid sit, quod dicitur malũ, exactè perpendere, hinc, unde sit, quærere? Qui enim quid unumquodq; sit ignorat, nec caussam eius inuenire potest.

Quid, & quomodo sit malum. Cap. 51.

Dicendum itaq; est, hoc malum, ut qui mali primordium statuunt, & plerique dubitantium de ipso sentiunt, præcipuam quandam subsistentiam habere, uelut ipsum bonum, & uim bono parem, & contrariam ex æquo: Et hoc ipsum malum substantiam habere, quæ suapte natura cum contrario misceri non possit, hoc est cum bono, ut se habet nigrum ad album, & calidum ad frigidum. Id itaq; malum nullo pacto in rerum natura est. Nam si præcipua quædam substãtia esset, ut homo forte, aut equus, certè haberet prorsus quandam suam secundum naturã perfectionem, & formã, per quam idest, quod est. Omnis porrò forma, quæ suam secundum naturam prefectionem retinet, bona est, & non mala. Atqui malum illud appetere bonum aiunt, ac particeps ipsius esse, & utilitatem ex eo capere, & participationem amare, & omnem intendere conatum, ne ipsam amittat. Quomodo igitur id tanquam simplr malum cogitatione cõplecti quisq̃ potest? Quod uerò est malum, ex quo mali & flagitiosi uocamur, & pœnã luimus ut mali, id accidens est, & non substantia, qñ adest & abest citra rei subiectæ abolitionem, nec suapte natura subsistit. Quid enim fuerit malum, quod non alicuius malum sit? Oppositum item ipsi bonnm accidens est. Verùm bonum est, quod secundum naturam cuiuslibet est, secũdũ quod suam habet perfectionem. Malum est affectio præter naturam habentis ipsum, qua priuatur eo, quod secundum naturã est, & bonum. Si enim malum quoq; affectio secundum naturam esset, ac perfectio formæ habentis ipsum, bonum profectò esset ipsum quoq;, nec amplius uocaretur malum. Quare non est præcipua ulla mali natura ac subsistentia, ut ipsius boni est, sed assistit bono, cum lapsus ipsius, ac priuatio sit. Nam eodem se habet modo morbus ad ualetudinẽ, & animi uitium ad uirtutẽ. Ac uelut rectè ambulare, præcipua quædam est animalis actio, qua sibi pro scopo proposita, ad ipsum tendat: Claudicare autem ambulando, per frustrationem præcipui actus euenit, & assistit ipsi, cum sit motus præter naturam. Eodem se modo malum omne erga oppositum sibi malum habet. Nec dici potest hæc, neq; præcipua esse similiter, nec æqualis status inter se, ut album & nigrũ. Nam si eodem modo hæc ambo, & nihil magis nec minus utrũq; perfectionem secundum naturam habet, nec alterum alterius priuatio est. (priuatio enim aberratio ac frustratio speciei est, ut ambulationis claudicatio) Horum autẽ utrunq; rectam habet ac puram suam formam, nec minus quàm alterum: Ibi autem altero secundum naturam existente, alterum est præter naturam; & quod præter naturam est ei, quod secundum naturam est, assistit, malum scilicet ipsi bono. Non enim malo bonum, ut nemo diceret frustrationi à scopo, eius assecutionem assidere: Vt nec morbo ualetudinem. Sed frustrationem assecutioni, ualetudini morbum. Præcipuus enim sagittarii finis est, ut signum attingat, ppeà enim iaculatur. Naturæ item præcipuus finis est ualetudo. Ob salutem enim ac ualetudinem animantis: & deniq; id, cuius gratia actio absoluitur. At signi assecutioni frustratio accidit, ubi signum actio non fuerit assecuta, nec finem, ob quem agit, nacta: sed illius frustrationem pro illo. Id porrò quod præcipuo fini inuitũ accidit, iure fini assistere dicatur: non tamen præcipuus finis ei, quod inuitũ accidit.

Omnis

Omnis actionis finem esse, ut bonum consequatur. Cap. 52.

Si itaq; summum bonum omnia appetunt, et omne agens gratia consequendi boni agit aut uerè boni, aut quod ipsi uideatur: Apertum est cuiusq; actionis finem esse boni assecutionem, incidere tamen quandoq; actui malum: Vbi appetitus non uerè boni sit, sed apparentis, cui iunctum est malum. Voluptatem enim quis cupiens, & opes affectans, furatur, piraticam exercet, præcipuè quidem apparens sibi bonũ expetens, & eius gratia agẽs: Sed coactus cum illo iunctum quoq; malum recipere. Nam nemo adulterium facere ob ipsum adulterium cupit, nec furari ob furtum, nec aliud quicquam malũ propter malum. Cum nullus malum quà malum appetat. Si enim primordium & caussa eorum, quæ ab ipso fiunt, esset, certè finis eorum esset, & expetendum ipsis, uelut bonum. Atq; ita rursum bonum esset, non malum. Quod enim expetendum est, bonum est: & quod bonum, expetendum. Omnia itaq; suam utilitatem appetũt, aut quæ uera sit, aut quæ ueræ speciem referat: Hanc quoq; tamen perinde ac uerã. Nemo enim uolens fallitur: Vt falsum pro uero capiat, & imaginẽ pro archetypo. Verũ fit, ut præ nimia auiditate circa bonum apparens, quãdoq; ne uideamus quidẽ adhærẽs ipsi malũ: Quãdoq; licet perspexerimus ipm, decipimus nos ipsos, tanq̃ maius sit bonũ, minus uerò malũ, quod annexum sit. Quin interim maius bonũ eligimus cũ minore malo. Velut sectiones & usturas perferimus, maius scilicet bonum putantes ipsius ualetudinis, quæ per ea restituitur, quàm malũ quod in ipsis sit. Omnia uerò ipsum bonũ appetere inde liquet, quòd uel malum ipsum, si esset & ageret aliquid, suæ utilitatis gratia agat: hoc est sui boni gratia. Quinetiam quæcunq; ab ipso fieri dicunt, qui supponunt, iccirco fieri uolunt, quò bono potiatur, & apud se id retineat, nec amittat. Si igitur nihil est, quod malũ appetat, certè nulla eius p̃cipua subsistẽtia est. Verùm quoniã prorsus est, & fit dicto modo, merito assistere, nõ subsistere dicitur.

Quæ'nam mali caussa sit. Cap. 53.

Sed esto dicat quis, & malũ accidens, & boni frustratio, & assistens ipsi, & cum eiusmodi sit, quæ'nam eius erit caussa? Quærit enim sermo, quoniam oẽ, quod fit, à caussa aliqua fit. Alioquin unde habuit exitum penitus in res qualecunq; malũ, cum Deus, hoc est rerũ omnium primordium bonum sit? Dictum quidem prius hac de re abundè est, tum in sermone de libero arbitrio, cum in illius sentẽtiæ explicatione, Ne quære quæ fiũt fieri, ut uis. Dicatur tamen nunc quoq; breuibus. Deus, cum fons & principiũ omnis bonitatis sit, non prima solùm bona produxit, quæ summæ bonitates sunt: Nec media solùm cum his, quæcunq; in bono perpetuò manent: Sed etiã extrema, quæ inuerti ac ĩmutari possunt ab eo, quod est secundum naturam in hoc, quod malũ uocamus. Nam post æterna illa ac perpetua corpora, quæ semper secundum naturã se habent, in bonoq; semper collocata & fixa sunt, substiterunt ea, quæ gignunt & abolentur. Et post aĩos, qui in bono semper constituti sunt, substitere animi, qui inuertũtur: tum ut producentis bonitatis opes omnia procreent bona, quotcunq; subsistere poterant: tum ut mundus perfectus atq; absolutus esset, nõ prima tantùm ac media habens, sed etiam extrema. Id quod perfectionis peculiare est. Prætereà ne prima, aut media, quæ tota bona sunt, extrema inuenirentur & despecta, infirmaq;, cum non amplius gignerentur atq; corrũperẽtur. Talia quippe necesse est esse extrema. Ad hæc quoq; impossibile erat, cum talia essent prima & media, prima uidelicet & substantia & actionibus imutabilia: media substantia ĩmutabilia, sed partibus locum permutantibus: impossibile inquã erat, ut non subsisterent extrema sub lunam, quæ à cœlestium corporum orbibus, & substantia iam mutarentur, & præter naturam afficerentur. Ob has igitur ratiocinationes, & alias longè clariores, substiterũt sublunaria, & mortalis hic locus, in quo locum habuit boni peruersio. Quia oportebat extremum quoq; bonum subsistere. Extremum uerò necessariò eiusmodi est, ut inuerti ac ĩmutari possit. Et iccirco in iis, quæ supra locum hunc existunt, nihil est malum, quoniã mali natura, quæ inuersio quædam

extremi boni est, quod inuerti potest, hic est, ubi ipsum extremum bonum. Quò fit, ut animus cum nobiliori ac imutabili substantia præditus sit, ubi suapte sponte existit, nihil mali obtineat: uerum cum aptus sit hoc in loco per respectum morari, & his corporibus inseri, (idq; patris ac uniuersorum opificis prouidētia, quiq; tales animos producit, ut extrema cū primis iungantur per insolubilia uincula uitalis copulæ) mali, qd' apud nos est, ex eorum pter naturam affectione in morbis ac corruptionibus, pertinentis inq̄ mali particeps esse uidetur: Cum id, ut arbitror, malum non sit, sed potius bonū. Nam iis pugnantibus inter se, & in alienis locis laborantibus, liberantur hoc labore dissoluta. Cæterū simplicia multò magis ab hac pugna libera sunt, cum propriis locis ac suis totis ad renouationem reddantur. Et licet alia in alia transeant, ne id quidem malum habent. Nam quodlibet fit id quod prius erat. Aqua enim in aërē migrans, ex aëre denuò in aquā relabitur. Et quod maximum est, quia compositorum dissolutio, & simplicium alterna transmigratio, bonum est ipsis totis, quādo alterius interitus alterum ut gignatur facit. Atq; ea caussa est, ut indeficiens atq; inexhaustus semper generationis orbis maneat. Cernimus præterea & ipsam naturam plerūq; & artem, ut superius ostensum est, parteis totius cōseruandi gratia contēnere. Natura enim fluxus & pustulas in corporis parteis extremas à potioribus expellit ac protrudit. Ars secat, urit, ac recidit partem sæpe propter totius salutem. Quare quæ corpori eueniunt, bona potius, quàm mala uocanda: & caussa ipsorum, bonorum nō malorum caussa nuncupanda fuerit. Nam alia quidem corpora, quæ sub lunæ orbem sunt, nihil mali habent, cum æterna ipsa quoq; sint. Quod uerò in partibus malum esse uidetur, plus boni habet, uel in ipsis partibus, ut dictum est, tàm simplicibus q̄ compositis. Si uerò ad bonum aliorum conferatur, penitus bonum efficitur. Atque ob hæc corporum præter naturam affectio malū non fuerit, cum undecunq; bona effecta sit. Quòd si quis importunius contendat, ut prius quoq; dictum est, non uocandam bonam, quòd inuersio eius sit, quod secundum naturam est, ne malā statim nominet propter eam cōceptionem, quàm non rectè examinatam de malo habemus, id scilicet esse bono penitus contrarium: Cum necessarium potius sit, tanquā suapte natura quidem haud sit eligendum, multum tamen emolumenti afferat ei, quod suapte natura eligendum est. Si enim absolutè malū foret, ad bonum non conferret: ipsum uerò necessarium, licet suapte natura eligendum non sit, si referat' certè ad bonum, ipsum quoq; bonum efficitur. Atq; est bonū ipsum quoque, si quidem utcunq; eligendum. Nam & sectiones & usturas eligimus, & mercedem pro ipsis persoluimus, gratiasq; Medicis agimus. Quod profectò non fieret, si malum esse ipsa putaremus. Verùm est bonum quoddam inferius, & secundæ boni classis, cum non præcipuè, sed secunda quadam ratione bonum sit. Quare horum effector nequaquā mali auctor fuerit, sed boni uel necessarii, quod secundū quoddā bonum est. Et meritò, cum à boni fonte per subiectionem defluat ac deriuetur. Sed de malo quod in corporibus est, deq; eius caussa, hæc in præsentia sint satis.

Cur animi & quomodo errent. Cap. 54.

Verùm quoniā mali maximè & fallaces uidenter humani animi lapsus, quāuis superius de eis egerimus, nil uetat nūc quoq; ipsorū naturā, & caussam inuestigare. Dicēdum itaq; est, præstantiorum uirorum animos, quòd semper superna spectent, & in bono æterno sint defixi, nunquam quicquam mali habere: At mutorum animalium animi, qui inter hominū ac in plantarum animas medii sunt, pro corporis sui forma simile malū habent. Verùm quatenus quidam appetitus in ipsis & conatus est, malum quod in eis est, malo humanorum animorum simile uidetur. Quod ex iis, quæ de illo dicentur, cognosci liquidò poterit. At animus humanus cum medium locum teneat inter eos animos, qui suprà semper permanent, cum ob celsitudinem quæ in aīali substantia est, tum ob mētis participationē: & inter ea, quæ semper infrà degunt ob eam propinquitatem, quæ corpori cum uita irratio

nali

nali intercedit: Cumq; uinculum uitale ſit tam ſupernorum quam infernorũ per habitum
liberum: Nunc ad hæc, nunc ad illa accõmodatur. Cum tamen ſuprà manet, omni pror-
ſus malo uacuus eſt, cum ſit in bono conſtitutus: Quandoq; uerò deficiens atq; hebeſcens
in beata illa uita, & arcanis uerisq; illis ſpectaculis, cum ad inferna quoq; poſſit quandoq;
repere, ubi uoluerit hoc principium cuiuſcunq; uitii habere, uoluntarium deſcenſum in lo
cum hunc mortalem, quãuis dubiam ſortitus naturã, non coactus tamen demittit, aut re-
trahit, ſed ſic ſubiicitur, ut, quoties libuerit, & deſcendere & aſcendere poſſit. Et quid hoc
mirum eſt in animo, qui ſecundum ſubſtantiam ſuo cietur motu, cum & ex mutis anima-
libus, quæ ἀμφίβια, hoc eſt ancipitis uitæ uocãtur, ut quæ & in aqua & in terra degere poſ-
ſint, natura eiuſmodi prædita ſint, ex proprio autẽ appetitu in utrunq; demigrent, à nullo
coacta, ſed cum ipſa cupierint? Cum uerò animus reſpectu in mortalẽ hunc locum deſcen
dit, & corpori eſt inſerendus mortali, & animal unum mortale cum ipſo perfecturus, irra-
tionales depromit uitas, alias cognoſcẽtes, ſenſus uidelicet & imaginationes: Alias appeten
tes, iram, & cupiditatem, per quæ mortale animal & cognitionem ſibi cognatam habitu-
rum erat, qua etiam bruta animalia prædita ſunt: Et quod defluit, per alimentum ſemper
reſarcturũ: & p ſimilis generationẽ generis ſeruaturũ æternitatẽ, & noxia repulſurũ. Quæ
certè mortali animali nõ ineſſent, niſi irrationalibus his facultatibus abſolutũ foret. Quis
enim & præſertim ex his delicatis ac munditiarũ ſtudioſis, tandiu comedere ſuſtineret &
per aluum excernere, ut caperet aĩalia, niſi irrationali excitaretur appetitu? Quis fœtum
tantum tandiu geſtaret, niſi furioſa hæc libido exardeſceret, & generis ſucceſſio? Verùm
hæc, cum prius quoq; explicata ſint, ſat ſint ad declarandũ, irrationales appetitus propter
bonum & conſtitutionem animalis eſſe datos. Nec ullum adhuc malum apparet. At ra-
tionalis animus cum ex ſubſtãtia ſit corpore pſtantior, & irrationali uita, & naturã iis im-
perantem habeat, cum erga ipſa ſuum ordinem ac dignitatem retinet, exemptus ab ipſis,
& tanquam inſtrumento eis utens, & bonum miniſterii eorum ad ſuum referens bonum,
tunc omnia bona ſunt, nec ullum unquã malũ adnaſcitur. Quòd ſi & ipſius ad melius ſimi
litudinis oblitus ipſe animus, imperii ſceptrũ amittat, imperatoria poteſtate neglecta, to-
tus uerò ad corpus uergat & irrationales uitas (Quod maximè patitur, cum uehementiam
ac concitationem uoluptatis irrationalium appetituũ puritati ac lenitati rationaliũ ante-
ponit, ſeq; totum irrationali parti tradit, ita ut illam ſe eſſe putet) Tunc, cum rationalis
animus ſine ratione agit, & præter quam ſuæ imperatoriæ dignitati conueniat, ſeruire
ac imperium ferre uult, tunc inquã malum exoritur, & neque in præſtantiori ſuapte na-
tura exiſtenti, neq; in deteriori ſi in ſe maneat, locum habet: ſed ubi melius cum deteriore
implicitum ĩmodicè pro ſimilitudine ad bonum eã, quæ ad malũ eſt, recipit. Id uerò patiẽ
à nullo coactus, ſed ipſo eligente ex libertate ſua & libero arbitrio. Electio.n.in nobis eſt,
cum noſter intus motus ſit. Verùm hic mihi mentem animumq; adhibeas lector, quiſquis
es, ne deceptus ipſe, mihi tibiq; imponam. Nam electionem animi ac propoſitum pecu-
liarem intus motum eſſe, nec ab extrinſeco ullo cogi, & ſatis clarum eſt, & prius dictum,
atq; oſtenſum. Per electionem item ac propoſitũ animo ſemper melius eligi: Quandoq;
deterius eodem meliore, inde puto aperte indicatum eſt, quòd & Deus, & rectè conſtitutæ
leges, prudentesq; homines, tam bonas quã malas hominũ actiones, non operibus, ſed uo-
luntate ac electione metiuntur, Honorant, puniunt, laudant, uituperant, in ſolam electio-
nem reſpicientes, ut quæ libera ſit, & in nobis. Quare iis quæ ui fiunt, licet immaniſſima
ſint, ueniam condonant. Et peccatum non auctori, ſed cogenti adiudicant. Quoniam hic
ex electione coẽgit: Ille præter electionem egit. Si igitur mali cauſſa eſt electio, quæ animi
liberi actio eſt, non ui coacta, quid nam aliud mali cauſſam eſſe dixerimus, quàm animũ,
& ipſum non ut mali (Nihil enim ipſum malum appetit ut malum) ſed ut apparentis bo-
ni, quod tamen in ſe malum occultet, quod neceſſe eſt cum apparente bono accipere. Qua-

dere prius quoq; dictum à nobis est. Cum igitur mali caussam teneamus, clara iam uoce inclamemus, Deum nullius mali esse auctorem. Quoniam malum animus libere agit, & non Deus. Nam si ui malum animus cōmitteret, forte quis Deum, qui eum sine caussa cogi permiserit, criminaretur. Cum tamen malum non esset, quod fieret. Cum uerò ipse ex electione eligens agat, ipse meritò caussa mali esse dicetur. Nam si quis obiiciat, non debere ipsi Deum permittere, ut malum eligat, alterutrum horū dicit, uel quia ipm natura aptum quandoq; bonum, quandoque malū eligere, cogere oportebat, ut nunquā malum eligeret: Vel quia talem eum constituere opus erat, ut nunquā posset suapte natura malum eligere. At primum statim rationi reclamat. Nam ea ratione frustrà electio ad utrunq; apta esset, si nunquam ipsi ad utrūque agere liceret. Quin ne electio quidem esset, proposita necessitate. Contraria enim electioni est necessitas. Secunda uerò ratio, primum cogitet, nullam unquam mali electionem esse. Deinde quia suadere uidetur, liberam hanc animi substantiam, quæ sua uoluntate, sine ui, modò uerè bonum, modò bonum eligit apparens, è mūdo tollere, ut quæ magnum quoddam malum sit. At non reputat, quot & quātis, quæ in mundo bona esse cēsentur, maius ac preciosus bonum sit, ipsa uolūtatis Libertas. Omnia enim quæ sub lunam posita sunt, hoc superat. Nec quisquam est qui se aut plantam, aut mutum animal quodcūq; natum esse malit, quam hominem. Quomodo igitur, cum alia minora bona à Deo profecta sint, hoc quod maius illis est, non proficisci debebat? Præterea si (quod superius quoq; tractatum est) è rerū natura animorum ad partē utrāq; momentum detrahatur, nobilissimæ illæ ac præciosissimæ humanæ uirtutes simul intereāt necesse est: Genus item humanum uniuersum. Non amplius enim nec temperantia, nec iustitia humana fuerit, nisi inuerti ac imutari posset. Nam si imutabilis sit, Angelica aut Diuina, & non amplius humana esset. Hac igitur ratione necessariam esse imutationem ostensum est: malum item, quod secundum ipsam dicitur. Quando absq; ea nunquam in res humanæ uenissent Virtutes, nec species deniq; hominis. Quare siue quis hanc à Deo productam imutationem asserat, quatinus ad tātorum bonorum, quæ inuerti possunt, subsistentiam necessaria est, non idcirco mali auctorem eum esse dicere iure existimabitur. Nam Medicū q abscessus putrefacit, secat corpus, urit, abscidit parteis, nemo est qui morbi effectorem uocet, sed ualetudinis. Quoniam fieri non poterat, ut sine his illi homines ualetudinem reciperent. Quin & diuina Iustitia speciem iuris plectentem, torquentem, & augentem animi affectus, aliquatenus talem infert, propterea quòd aliter curari non possit, nisi agat primùm, uel plerunque ex furioso ipsorum appetitu. Quocirca puerorum quoque magistri rectè non semper puerorum cupiditatibus aduersantur, sed sæpe permittunt, interdum adiuuant, tanquàm animus ille non penitus hos euomere affectus possit, nisi ipsis quandoq; obtemperetur, & actione expleatur usq; ad satietatem. Non tamen hunc magistrum, nec diuinam iustitiam mali caussam uocamus, sed boni, quoniam boni gratia fit. Nam studia ad temperantiam spectantia, temperata uocamus: Et quæ ad sanitatem, ualida. At omnis actio à fine cōformatur, cuius gratia fit. Quare si Deus inuersionis necessitatis auctor quodāmō fuerit, non iure tamē mali auctor appellabitur. Verùm, quopacto Deus inuersionis auctor sit, dispiciendum est. Non enim tanquam ipse inuersionem faciat (absit) sed permittit id animi libertati, ut etiam locū in uniuerso eiusmodi species habeat, & tot subsistant bona, quæ absq; inuersione subsistere nō possent. Auctor uerò propriè est Deus liberæ huius substātiæ, quæ bona est, ac multis aliis, quæ in mundo extant bona, preciosior. Cuius passiuus actus est, inuersio uolentis, non coacti. Esse porrò bonam eiusmodi liberam ac sui iuris substantiam, licet inuerti quādoq; possit, apertè puto, uel qui mali Primordiū statuunt, quia mali auctorem Deum esse negant, indicāt. Nam ii, cum non à Deo solùm deriuari animum asserant, uerūetiam partem ac membrum Dei esse iactent, eum tñ uitiari posse tradiderunt. Siue igitur per electionem ipsum uitiari dicāt, (quod consenta-

neum illis est, qui in nobis esse aiunt, ut uincamus malum, aut ab eo superemur. Et iccirco, qui uictus sit pœnas reposci, qui uicerit præmiis honestari. Hæc enim cum dicunt, non rani maducertunt tamen impossibile esse, his cõsentire, quod aiunt, animum extrinsecus ad malum impelli.) Simpliciter itaq; siue ex electione eum uitiari dicant, siue extrinsecus impelli, certè quia uitiari potest, uitiatur. Nisi enim aptus natura esset, non uitiaretur. Propterea nec primum bonum uitiari dicunt, quoniam nullo pacto aptum est: neque alia bona, quæ proximè ipsi iuncta sunt, Matrem uitæ, ut dicunt, & opificem, & secula quæ illic sunt. Quare & ii, qui aptum uitiari animum à Deo deducunt, quia non mala est eiusmodi substantia, sed bona, non dicunt mali auctorem esse Deum. Verùm de malorum quidem subsistentia hæc sint in præsentia satis.

Verborum Epicteti explicatio. Cap. 55.

Deinceps oportet Epicteti sententiã considerare, ac uidere, quo pacto quæ de malo à nobis tam prolixè dicta sunt, ipse breuibus complexus indicauit. Nam cum morum bonus usus circa boni electionem, & mali fugam uersetur, necessarium fuerat mali naturam, quæ noua quædã res est, ostẽdere. Est enim quodãmodo, & non est, cum assistentia, non subsistentia sit. Quare fugienda penitus, quoniam præcipuam subsistentiã non habet, & idcirco nulli eligenda est, nec ulli agenti scopus est. Nam ædificatori, qui domũ extruit, scopus & finis est domus, q̃ ædificat. Fabro item lignario fores, ob quas fabricat. Nihil autem mali gratia fit. Atq; Epicteti collectio breuibus hæc est. Malum est scopi frustratio, Quod pcipuè secũdum naturam, in mundo fit, scopus est agenti, & finis assecutio eius: Et ubi factum est, assequitur scopum qui agit. Si igitur quod præcipuè in mundo secundum naturam fit, non est scopi frustratio (nam bonum est scopi assecutio, malum eius frustratio) iam patet malum non præcipuè in mundo fieri. Cæterùm ipsum malum esse scopi aberrationem declarant, quæ de eo pronunciata sunt. Nam quidam scopũ sibi proponẽs ut bonũ ipsam uoluptatẽ, collimat ad ipsam tanquã ad bonũ, aut certè ipsum ferit telo uelocius, ipsa. s. imaginatione. Et cum non assecutus sit bonum, sed permutauerit ipsum & deflexus sit ob ipm, à scopo uidelicet aberrat uitiatus. Quæ uerò in mundo pcipuè fiunt, scopum agentis fieri, & assecutionem ipsorum finẽ esse, ex iis, quæ de ædificatore & lignario fabro dixi, liquet. Omne enim quid fit, scopus agentis est, in quem respiciens, tanquàm tela suas actiones in eum dirigit: Finemq; habet, ut scopum attingat. Cum uerò dixit, Ita nec mali natura in mũdo fit: per Naturæ nomẽ, quod secundũ naturã est, & præcipuè subsistit, significauit. Licet ita quoque accipi syllogismus possit, ut minor propositio ponatur, per id, Velut signũ sagittarii non figitur, ut non attingatur. Id enim significat, malum aberratio à scopo est. Et prætermissa minore, quæ ait, quod præcipuè in mundo fit, non esse aberrationem à scopo, (nam assecutio scopi est) intulit conclusionem, malum non præcipuè nec secundum naturam in mundo fit. Potest tamen ut cõiunctum accipi hoc assumptum, Si signum sagittarii non ideò figitur, ut non attingatur, mali natura in mundo non fit. Alioquin si fieret, scopus esset agenti, ad quem respiciens ageret. Scopus uerò ad fugiendum ipsum. Fugiendum enim est ipsum malũ. Quare, non ut attingeretur, sed ut non attingeretur, fixum esset. Si igitur signum non ideò figitur, ut non attingatur, ita nec Mali natura in mundo fit.

Quàm putanda sit animi perturbatio, quid'ue agendum, ne in eam incidamus. Cap. 33.

Si quis tuum corpus imperium habenti traderet, ægrè ferres. Quòd autem tu tuam mentem cui vis tradis, vt cum tibi conuicia dicuntur, perturbetur illa, & confundatur, non'ne te pudet? Quicquid igitur aggressurus es, eius initiũ primò, tum quid deinceps sequatur, considera: Atq; ita rem aggrediare. Quòd si temerè initio aggrediaris, nihil eorum cogitans quæ futura sunt, postmodùm cum quædam apparebunt turpia, pudore afficieris.

Efficax confiderandi exemplum, quod quaq; in re, quam fimus aggreffuri, accidere pofsit. Cap. 34.

Vis Olympia vincere? Et ego per Deos. Magnificum enim ac gloriosum eft. fed confidera & initia, & confequentia, atq; ita rem aggredere. Oportet bene fe inftituere: neceffarijs vefci: Abftinere condimentis: exerceri ad necefsitatem, ad præfcriptam horam, in æftu, in frigore: Frigidam non bibere: Non vinum ad libitum: Totum te deniq; præfecto ipfi ceu medico tradere. Tum in certamen prodire. Et interdum manum vulnerare: talum diftorqueri: multam aphen deglutire: Interdum verò & flagellari. Poftq; hæc omnia fuperari. His animaduerfis, fi ad huc vis, abi certatum: fin minus inftar puerorum deges, qui nunc palæftritæ ludunt, nunc gladiatores, nunc tuba canunt. Mox tragœdum agunt. Ita & tu nunc athleta, nunc gladiator, nunc orator, nunc philofophus. Toto verò animo nihil, fed velut fimius, quicquid cernis, imitaris: Aliudq; ex alio tibi placet. Non enim cum animaduerfione rem aggreffus es, neq; circũfpectans, fed temerè, & per frigidã cupiditatem. Sic nonnulli cum Philofophum intuentur, aut cum à quopiam audiunt, Bene Socrates dicit, & Qui poteft dicere vt ille? Volunt & ipfi philofophari. in græco defunt. Homo confidera primò quæ'nam, aut qualis fit ea res, quàm aggrediaris. Deinde naturam tuam confule, vtrum id tolerare pofsis. vis effe luctator, aut pentathlus, afpice brachia tua, afpice lumbos, afpice femora. Aliud enim alijs aptum natura parens largita eft. An'te cenfes eiufmodi rebus ftudentem, eodem modo vefci poffe, eodem mõ potum fumere, eodem mõ irafci, eodem modo mærere? Vigilare oportet, laborare, fecedere à proprijs bonis, à pueris contemni, derideri ab omnibus. Vniuerfis in rebus minus auctoritatis habere, in honore, in magiftratu, in iudicio, in cæteris omnibus. Hęc inquam omnia confideraз Et vtrum pro his indolentiam, libertatem, quietem malis, animaduerte. Quo'd ni malis, caue ea aggrediaris, ne iftar puerorum modò philofophus, modo publicanus, paulopòft rhetor, poftremò Cæfaris procurator fias. Hæc inuicem nequaquam conueniunt. Illud oportet, hominem effe te, uel bonum, uel malum, aut ad interiora te uertas, neceffe eft, aut ad exteriora. Vel philofophi locum teneas, uel idiotæ.

Quòd officia à natura ducuntur, quodq; ut fe quifq; aduerfus quempiam habeat, confiderantur. Tum de officijs erga homines. Cap. 35.

Officia habitibus penfantur, pater appellatur, curandus eft: Cedendum ei in omnibus: Ferendus cum aut obiurgat, aut uerberat. Sed malus pater eft. At natura te non bono patri, fed patri conciliauit. Frater iniurius eft, uide quo tu loco fis, non quid ille faciat. Propofitum tibi eft, ut fecundum naturam tu facias. Nemo enim te lædet, nifi uolentem: Tum læfus eris, cum te lædi opinaberis. Sic ergo à ciue ad ciuem, à uicino ad uicinum, ad imperatorem ab imperatore, officiũ inuenies, fi cõfiderare habitus affuefces.

Cap. 56.

Multam focordiam attulit collatio illa tradentis, at non ad me tradentis, & corporis mei ad animum meum. Deterius enim eft, à fe lædi, quàm ab alio. Nam fi iniquiore animo ferimus ab amicis offendi, quàm à quocunq; alio, ob imaginationem familiaritatis, & quia præter fpem euenit: Multo certè turpius fuerit feipfum lædere. Et fi cum læditur corpus, ægrè patimur, multò magis ægrè ferendum erat, cum offenditur animus. Quòd fi, ut alius quifpiam corpus noftrum imperiũ habenti tradat, aut non tradat, in nobis non eft: ut nos autẽ mentem noftrã cui uis tradamus, ut fi ille conuicia dixerit, aut contumelia affecerit ipfam, perturbetur & confundatur, uelut non tradamus, hoc pati in nobis eft. Vtrunq; pudore dignum: ægrè ferre qđ in nobis non eft, nec in nos malũ: Aut uolẽtes noftrum malum permittere, cum in nobis fit non permittere. Et pulchrè dixit, non ægrè fers eius gratia. Quoniam ægrè ferimus ac dolemus ob ea mala, quæ nobis alii infligunt. Pudore afficimur ob ea, quæ aliis nos. Verùm multò magis nos pudeat oportet, fi nobis ipfi mala fabricemus, & multò magis fi in nobis fuerit, ne faceremus. Pudore enim afficit, qui erratorũ fuorum ex propofito turpitudinis cõfcius eft. Quid porrò turpius fuerit, quàm ꝓpofitæ huius efficacis collationis difcrimina cognofcere non poffe?

Quid fit Officium. Cap. 57.

Officia funt, quæ ut ad quęque pertinent, aut quenq; decent, pro dignitate conueniunt

singulis. Atq; hæc sunt Iustitiæ opera, quæ uniuersam uirtutem complectit. Est quippe iustitia, alia quæ à reliquis discriminatur uirtutibus: Alia, quæ omnes in se ipsa cōprehendit. Nam iustitia est suum unicuiq; pro dignitate reddere. Quare moralis quoq; ac ciuilis tractatio circa officia uersant. Iustitia quædā animi est, & officiū singulis animi partibus præscribit: Iustitia alia urbiū, quæ & ipsa rerum urbanarum cuilibet ius suum reddit. Cum igitur auditorem prioribus instituisset præceptis, quæ & ipsa in officiis consistunt: Hinc deinceps, artē circa officia tradit, quomodo & inueniri, & ad actionē educi possint. Et quod alii longis tractatibus prodiderunt, partim de officiorum tractatione inscribentes, partim de rerum agēdarum honestate, ut Nicolaus ille Damascenus: is enim paucis uersibus cum ui quadam ac efficacia mouente animos officia exposuit.

De Officiorum diuisione. Cap. 58.

Hæc autem officia, ut generatim parteis ipsas diuidamus, partim quidem ad homines, & demùm ad similia: partim ad meliora: partim ad deteriora spectant. Alia item fortasse, ad nosipsos. Et horum quodlibet multis distinguitur discriminibus, quorum & ipse magis præcipua exequitur, ab iis officiis quæ ad homines pertinent, ducto exordio. Et rectè statim initiò, quomodo inueniēda sint officia docet, nec eadē reddenda patri, & filio, nec ciui itidem, nec peregrino: Non ei à quo beneficium, nō à quo dānum tuleris. Sed alia aliis pro habituum discrimine, quod aduersus ipsos tenemus. Alius enim habitus erga patrem, tanq̄ caussam post Deum, & totum, & benemeritum: Alia erga filium, ut erga effectum, & nostri quodammodo partem.

De Habitu, seu respectu. Cap. 59.

Cæterùm quid sit habitus prius examinandum est, atq; ita eorum discrimina consideranda. Habitus itaq; seu respectus (ut cōmunius dixerim) collatio est aliquorum inter se naturalis, aut uolūtaria, similium, aut dissimilium: Alia collectiua, alia discretiua, manente tamen eorum circūscriptione, qui in habitu sunt. Habitus enim medius est inter prædita habitu: Et nectuntur inter se per habitum, aut potius detinentur mutuò. Ita ut uel discreta & permutata, non prorsus auellantur, sed maneant mutuo iuncta nexu. Quare & sunt & dicūtur ad alterū, quæ habitū habent. Porrò collatio naturalis similium collectiua est, ut fratrum. Quocirca etiam similiter ad alterū reddūtur. Frater enim fratris frater: Aequalis itē æqualis æqualis, & cognatus cognati cognatus: ciuis ciuis ciuis. Collatio uerò naturalis similium discretiua eorum est, qui alieno genere sunt. Nam & ea quoq; naturalis est, & secūdum similitudinem. Quare dicuntur inter se ex similitudine. Alienus quippè alieni alienus. Discretiua tamen collatio est. Alienatio enim genera separat, ut cognatio coniungit. Atenim ob similitudinem, siue collectiua siue discretiua sit, officia eadem sunt in utroque erga alterum. Collatio naturalis dissimiliū collectiua, ut patris & filii inter se. Nam est naturalis collectiua dissimilium, quoniam non amplius ad idem fit redditio, ut in fratribus. Illic enim dicebamus, frater fratris frater: Hic dicimus pater filii pater, & filius patris filius. Est igitur hæc collatio naturalis dissimilium collectiua. Sed dissimilitudinem habet, tāquàm caussa & effectus. Alia prætereà est collatio naturalis collectiua dissimiliū ut contrariorum, ut habet dextrum & sinistrum. Nam hæc cum contraria sint, connexa sunt inuicem, sed per localē contrarietatē. Collatio autem naturalis dissimilium discretiua ut, superiore anno, superiore tempore. Habitus enim est, & discretiua per tempus. Collatio uerò uoluntaria similium collectiua, ut amicorum: Discretiua ut inimicorum. Nam & inimici collati sunt per respectum, cum uoluntariè similes sint. Quare ad idem est redditio, Inimicus inimici inimicus, ut amicus amici amicus. Discretiua autem in inimicis est collatio, cō iunctiua in amicis. Collatio uolūtaria dissimiliū collectiua, discipuli & doctoris, ut caussæ & effectus: ut contrariorum, uendentis & emētis. Collatio uoluntaria per dissimilitudinem discretiua, actoris & rei. actor enim in reum agit. Quæ composita est per uoluntariū

habitum dissimiliter, sed discretiuè composita. Porrò habitus uiri & uxoris, medius inter naturales & uoluntarios esse uidetur, tanquàm utriusque particeps, & per dissimilitudinem redditus. Vir enim uxoris uir est, & uxor uiri uxor. Medium item uicini habitū habent, cum per dissimilitudinem reddantur. Imperans autem & subditum, partim naturale est, (præstantius enim semper in omni re imperat) partim uoluntariū, quādo ex ordinibus diuites imperant, imperium ferunt pauperes: partim mistum, ubi communiter uisum fuerit prudentiores imperare.

De Officiorum habitibus. Cap. 60.

Cum tot igitur, ut ad formulam dixerim, habitus seu respectus sint, in quocūq; horum erga aliquem positi simus, ab ipsa habitus forma officium, quo erga ipsum uti debemus, sumendum & retinendum est, siue ille suum erga nos officium præstet, siue non præstet. Ac præsertim in naturalibus officiis. Nam uoluntarium habitum uel alter, qui malo proposito aut bono utatur, potest dissoluere: Malo amicitiam: inimicitiam bono. Quando propositum ipsum talem effecerat habitum. Naturalem uerò non ꝓpositum, sed natura facit. Quare si amicus noster propter prauum propositum inimicus euadat, soluit nostrum habitum, nec amplius ipsi amicitiæ officia præstare debemus, cum non amplius amicus esse, sed inimicus uelit.

De officio erga patrem. Cap. 61.

Quòd si pater malo utatur proposito, patris tamen habitum nō dissoluit id propositum. Nam illud naturale est, non uoluntariū. Tum erga patrē est eiusmodi habitus, nō prorsus erga bonū patrem. Licet igitur malus fuerit pater, paterna tamē officia præstanda ei sunt. Oportet itaq; penitus eius curam habere. tum quia caussa post Deum extitit, ut essemus: Tum quoniam eius diligentia & charitate educati sumus, & in hunc usque diem uiximus: Et uelut à parentibus curam & obsequium mutuò acceperimus, reddere cum fœnore ipsis gratè decet: Eorumq; iussis promptè obsequi omnibus, quæcunque ad animi uitium non euocant. Hæc enim, ut cum eorum pace fieri poterit, omittenda sunt, ut quæ Parēti animorum displiceant. In aliis uerò oībus cedere oportet, aut quæ ad corpus, aut quæ ad externa pertinent. Nam si iis qui fortunæ dono domini sunt, seruorum argento empta corpora & bona subiiciuntur, quantò magis illis, qui secundum naturam auctores sunt uitæ? Quamobrem & uerbera perferre lenius, q̄ uerberata à dominis mancipia, oportet. Conuicia item multò magis, & contumelias. Priscæ qdē illæ Romanorum leges, & ad naturæ eminentiam respicientes, & ad labores, quos parentes pro filiis ferūt, tum liberos omninò subiicere uolentes, & parentum, puto, naturali amori confisæ, uel uendere parentibus natos si uelint permiserūt, & impunè interficere. Qui uerò multò antiquiores sunt, adeò parentes coluerunt atq; obseruarunt, ut Deos uocare ipsos conati sint: Reueriti tamen diuinam excellentiam, fratres parentum θείους, hoc est Diuinos uocauerūt, indicātes ordinem quem patres aduersus liberos retinere existimabāt. Verùm in officiis, quæ patri præstanda sunt maximè ipsius boni gratia, præstare ea oportet, & ut secundum naturam conseruemus nostrum propositum. Iam uerò Diuinā quoq; iustitiam considerare oportet, ut tales erga nos se præstent filii nostri, quales nos erga parentes nostros fuimus.

De officio erga fratrem. Cap. 62.

Quanuis igitur frater iniuriam faciat, tu tamen erga fratrem naturalē habitus collationem tuere, & consensum, quem Deo præbuisti, te hos non alios parentes, aut fratres, & cognatos electurum esse. Illud porrò tecū ipse cogita, iustè aut iniustè erga te ut se gerat, in te non esse, sed ut ipse erga eum, in te est. Quare non spectandum quomodo se ille gerat, sed quid tu agens secundum naturam habebis. Quod in te est, id cura pro decoro tuo tractare. In hoc enim & utilitas & damnum tuum uersatur. Ille enim utcunq; se gesserit, tibi non oberit, si utilitatem & damnum in te quæras. Quòd si ipsam in iis, quæ extrin-

secus

secus fiunt, statueris, tunc à te ipse læderis, non à fratre. Potrò illud reputa, si fratrem mansuetudine & amore amicum tibi reddideris, habitus illi duo permisti mirabilem efficient coniunctionem.

De officio erga Præceptores. Cap. 63.

Officia erga rerum honestarum magistros, eadem ferè sunt, quæ erga parentes, ac fortasse cum aliquo incremento. Quoniam ii nutricii & curatores non corporis nostri, sed nostriipsorum sunt: Nec necessitate naturali, ut parentes tam in mutis animantibus quàm in hominibus, sed ex bono proposito diuinam imitante bonitatem, quæ animos in generationem lapsos, illuc iterum reuocat, ac reducit, unde profecti sunt. Maiora uerò sunt erga præceptores officia, quòd oporteat omnibus quæ ab ipsis imperantur, tanquàm iubente Deo, sine ulla exceptione parere: Magister enim eorum, quæ secundum naturam nobis conueniunt, nihil imperabit, quod ad hunc scopum non spectet. Quòd si parentes & præceptores boni fuerint, tunc duobus coniunctis habitibus, etiam officia pro utriusq; dignitate præstanda sunt: Ac uelut Diuina quædam effigies adorandi sunt. Quoniam & ut uiueremus, & ut benè uiueremus ii, ut Deus, auctores extitere.

De officio erga amicos. Cap. 64.

De officiis erga amicos, cũ preciosa ac necessaria sint, breuibus, ut fieri poterit, dicẽdum est. In quibus primò occurrit amicorum delectio: Secundò, eorum usus, & per optimum usum conseruatio. Ex quibus amicitiæ multiplex bonum elucescit. Delectionẽ igitur primùm facere oportet, ad morum similitudinem respiciendo. Dissimilia enim amicitiæ incongrua atque inepta sunt, licet ambo fuerint bona. Nam uiuaciores mobiles mores constantibus ac sedatis non conueniunt. Secundò inspicere oportet, quo pacto prioribus amicis usus is fuerit, quem ad amicitiam deligimus. Et tertiò, quod primum, medium, extremumq; est, utrum irrationalibus regatur affectibus, an utcunq; in eo ratio dominetur. Posteà spectandi appetitus, num ad honestã, bona, & à bonis uiris laudata moueãtur, an ad suauia, indecora, & ea, quæ sordidissimis hominibus arridẽt: utrum item moderati sint appetitus, & declinationes, & rectæ rationi facilè obsequentes: an concitati, infrenes, & quodcunq; sibi apparuerit delectabile, semper anteponentes. Ii enim cum omnia ad apparẽs sibi tentent, uinculo amicitiæ idonei non sunt. Sed & qui bonum in externis statuant, pecuniis, aut corporibus, aut gloria ciuili, amicitiæ quoq; apti non sunt. Nam quoniam hæc diuidi possunt, qui uehementius appetit, & plus accipit, minus prorsus relinquit, ut nõ amplius amicus paria consequatur. Verùm id in pecuniis & corporibus conspicuum est. Qui autem gloriæ auidus est, uel solus gloriam consequi uult. At animi bona, scientiæ, & uirtutes, cum indiuidua in participantibus sint, altero participante, non minuuntur in altero, sed uel augentur atque amplificantur. Excitantur enim hæc atque inflamantur in participantium animis, & cõmunicata multiplicantur. Et uelut rebus quæ ignẽ habent, defricatis ac collisis, una ueritatis ac bene uiuendi lux effulget. Præterea amici, qui ad uerum bonum contendunt, seq; ad rectam rationem dirigunt, una utuntur norma, quæ utile discernat. Cõmune nanq; in ambobus bonum, & ratio una. Si igitur in amicorum animis communis norma sit, utilia, noxia, iucunda, & tristia discernens, uniri ac coniungi eos necesse est, omnemq; dissensionem ac perturbationem abesse. Quòd si normam ambo communi recta ratione nõ adhibeant, diuellantur necesse est. Atq; electio quidẽ amicorum eiusmodi est. Cæterùm usus ipsorum ac conseruatio, una ratione rectè habebit, si sic amicis nostris utamur, ut illos nobis uti uellemus. Si beneficia in eos à nobis collata, cogitatione imminuamus: Quæ uerò in nos illi contulerunt, maiora æstimemus. In iniuriis autem modo cõtrario. Si quas nobis fecerint, minuamus: earum, quas nos ipsis, tanq̃ maiorum pœniteat. Si proprium nos nihil possidere putauerimus, quod non uel magis amicis cõueniat. Si primas lætè cesserimus, ut si nobismet cederemus, siquidem amicus, ut peruetusto uerbo circunfertur, est alter ego. Verùm quoniam, cum homines simus, erremus interdum

necesse est internos, oportet amicitiæ tenorem seruando totis uiribus, ita errorem mansue tè emendare, & uerè aureo illi præcepto parere,

Exiguum ob crimen ne sis infensus amico.

Vt possis fidam ueniam & re & uerbis ipsi condonare. Ne erroris conscientia in reliquum suspectam faciat ei amicitiam, qui errorem comisit, ne eum, qui iniuriam acceperit, idem seruaturū propositū diffidat. Constat uerò non amicū solùm, sed amici quoq; fami liares obseruandos esse, ita ut & illi eum non te solùm, sed & res eius curare existiment. Cum abest item non minus, sed magis curā præstare oportet. Quod ego in quodam meo amico exptus sum. Verū ut breuibus dicā, facta rectè delectiōe, & bonis iactis fundamen tis, ipsa deinceps cum ratione affectuum cōmunicatio ad decentem usum ducit, & amicitiæ officia perfacilè docet. Nam inde suapte sponte, uelut ipso amico utens, omnia decen tia faciet. Qualis uerò possessio, & quot bonorū caussa sit amicitia, uerbosa oratione ad explicandum esset opus. Referantur tamen nonnulla, quæ nunc succurunt. Primùm quidem uterq; amicus bina habet corpora, binosq; animos. Externa quoq; cōmunia esse patet. Quòd si plures fuerint ii amici, multis quilibet ipsorū & corporibus & animis rebusq; externis præditus est. Tum in rerum inquisitione, magna ueritatis lux tam coniunctis animis effulget, & in uirtutis exercitatione cum cuiuslibet maior in aliqua re peritia in commune ponatur, simulq; exerceatur, una quædam consummata uirtus & cōmuniter omnibus ac priuatim singulis facile acquirit̄, & à præstantioribus illustrata ob perfectionem. Consilia ēt secura inter plureis eiusmodi sunt, & inculpabiles actiones, cū prudentia simul ac potētia ditiores agant̄. Si uerò peregrè à suis absit amicus, interest ipsis per amicū p̄sentem, nec uiuens solùm, sed & mortuus confidit, tanquàm cum ipsis uiuat. Præterea iucundissima res est. Quid enim suauius amici aspectu, colloquio, & rebus, quæ ab ipso gerātur? Fides & confidentia nec in affinitate tam firma fuerit unquā, nec in principatu, aut pecuniarum numero, q̄ in legitimis amicis. Fertur itaq; Alexander cuidam percontanti, ubi thesauros haberet, amicos ostendisse: optimus p̄tereà magister est ipse amicus. A nemine .n. tā æquo animo, ubi deliquerimus, reprehēsiones patimur, atq; ab amico. Nec nos cuiusquā alterius, cū qd eorū, quæ honesta sunt, trāsgressi sumus, æquè uerecūdia tenet, ac amici. Lætitiā & iucūditatē auget amici p̄sentia. Cæteras curas nullus adeò mitigat & cōsolat̄ q̄ amicus. Exercitatio porrò ad optimū hoīum usum tutissima existit. Nā primas libēter aliquis amico cedit: Delinquentem quid æquo animo fert: quæ uidētur simpliciter & uerè cum amico cōmunicat: Beneficiorū ac beneuolentiæ gratias referre alacriter studet. Quinetiam humanitas & animi summa illa bonitas ad neminē æquè atq; ad amicū latè porrigitur. Socius & adiutor sine exceptione, & usq; ad mortem nulli unquam obtigerit talis, qualis amico. Et si posset ex amicis exercitus cogi, licet numero esset inferior, plureis hostes facilè funderet ac fugaret. Si itaq; erga amicos quis in his rebus patienter exerceatur, & sine labore assuescat ob amicitiæ affectuum societatem, facilè ipsis tēpore postulāte uti poterit: Et erga alios homines eadem ratione. Animaduertēdum tamē naturales habitus, quòd placeant, qd cōmunes affectus habeant, qd cum animi alacritate officia præstent, amicitiæ acceptū ferre. Nā frater, uxor, liberi, uir, & sponsa, nisi amici inter se sint, licet pareant Epicteto, naturaliq; respectui officium præstent: sed non promptè nec alacriter, nec deniq; libenter, sed quadātenus, & uelut coacti faciunt, iniunctum quoddam munus perficere putantes, non tā iis, q̄ fiunt, incūbentes, nec tanq̄ p̄cipua bona amātes, sed ut necessariò utentes ad officii absolōnē. Vt tantā uerò uim habeat amicitiæ habitus, facit, q; ex proposito is perficitur. Nam quæ proposito priuata sunt, naturali uinciuntur habitu: Voluntaria uerò, maiorem natura nexū habent, uoluntariū uinculū. Quoniam & animali sub a rationalis & uoluntaria eminentior est, & uni, qui omnia unit, propinquior. Ac magna quidem sunt & admirāda amicitiæ bona uel quæ dicta sunt, humana tamē bona eorum pars

est.

est. Qui uerò maximus ac maximè diuinus eius usus sit, ignoratur: Quoniam pura ac syncera amicitia animos ad unionem cogens, meditatio pulcherrima fit unitionis cum Deo. Et fieri nequit, ut cum eiusdem generis animis præstātiorem unitionem reperiat. Rectè Pythagorici, qui amicitiā supra omnes reliquas uirtutes obseruabant, atq; colebant, eamq; omnium aliarum uirtutum uinculum appellabāt. Nam si una tantùm ex uirtutibus desit, non pōt accedere amicitia. Quis enim iniustus, aut incōtinens, aut timidus, aut multò magis demēs, amicitiæ bonum recipere potest? Oportet igitur, qui uelit esse amicus, expurgare seipsum pro uiribus ab irrationalibus animi affectibus, atq; ita similem quærere, & inuentum cōplecti, dimidiumq; se contrarii reperisse putare, iuxta Aristophanis fabulam. At hæc amicitiæ cupiditati cōdonata sint, quæ uel in paucis ipsam intueri optaret, cum penitus à nostri temporis hominibus refugerit.

Epicteti Verborum expositio. *Cap.* 65.

Illuc uerò, unde digressi sumus, reuertendum est, & reliqui adiiciēdi habitus, de quibus mentionem Epictetus fecit. Cum enim dixisset, oportere ex habituum discrimine, officiorum differentiam inuenire, ita inquit, & à ciuis habitu, officium quoq; erga ipsum sumendum est. Est autem affinitas quædam hæc quoque. Nam si cōmunis mater est ciuitas, quæ & matria est & patria, patet hac rōne ciues quodāmō inter se fratres esse. Idq; apertè, licet è longinquo, inter oēs certè legitimos non inquilinos ciues mutua quædā cognatio reperit. Sed satis est naturalis cognatio. Magnam enim retinent secūdum naturas similitudinem, non qui ex iisdem ciuitatibus, sed etiam qui ex iisdem gentibus sunt oriundi. Velut igitur erga cognatos, erga ciueis nos gerere oportet, & bonorum tractationis eorum pro uirili curam agere, ut possimus, & cū bonis uiris conuersari, & copiosum in rebus necessariis & aduersis auxiliū reperire. Tum orbis pueris, & uiduis mulieribus opitulari. Nam hic potēs est pecuniis, ille ciuili sua facultate, aut amicis, aut bono cōsilio: alius corporis ministerio. Quidam & si nil aliud præstent, affectuum tamen societate ciuem consolari possunt. Vicinus autem si & ciuis fuerit, habet quid amplius familiaritatis. Quemadmodum enim urbem eandem & familiam non frustrà nec fortuitò habemus, ita & locum eundem ciuitatis per cōmunem quādam dignitatem sortimur. Maiorem enim erga uicinos ciueis familiaritatem ostendere par est. Quæ uerò de ciuibus memorata sunt, eadem in uicinis quoque, sed uehemētius seruantur, & cōmunicantur, ut fieri potest, & participando, & bonis eorū gratulando, & aduersis dolendo: Aegrotātium ut domesticorum curam habēdo: In aliorū conuersationibus se de omnibus uicinis bene mereri ostendendo, & pro uiribus opē ferendo: Et ut simpliciter dixerim, turpe putando, ut in iis, quæ per nos præstari possint, ab aliis uicinus adiuuetur. Est præterea habitus quidam erga peregrinos nobis à Deo hospitū præside inditus ac insertus. Oportet itaque his quoque officium præstare, tum ob præsidem eorum Deum, tum ob humanitatis nostræ amplificationem, quæ non cum familiaritate tantùm coniungi, sed in genus hominum uniuersum porrigi debet. Præterea, ut confidenter nobis à Deo hospitum præside opem petamus, & iuxta diuinam iustitiam nos quoq; ea cōsequamur, quæ peregrinis cōicamus. Cogitandū nāq; est, Deo aliquē bona ꝓposita & actiones mutuari. Et cum magno fœnore liberalius q̄ hoīes, ipse reddit. Officium uerò est, ut nunq̄ peregrino faciamus iniuriam, sed si ab aliis fiat, pro uiribus opitulemur. Hominem.n. omni ꝑsidio humano desertū, Deus hospitum ꝑses magis miseratur, magisq; ulciscitur. Præterea ad negotium illud, cuius gratia profectus est, ipsi præstò esse oportet, qui possit, & rerum necessariarum inopi pro facultate largiri. Et si in morbum inciderit peregrinus, quoad fieri potest, curare: Et ad reditum domū opem pro uirili ferre. Oportet item, inquit, & ab imperatoris habitu, officium erga ipsum miles ïueniat. Porrò munus eius est, ut dicto eius celeriter audiēs sit, ob præcipites bellorū occasiones: ut fortiter dimicet imperatori obediendo, cum in eo belli fortuna uersetur. Præterea, ut ante imperatorem

pericula adeat. Nam unus miles si cadat, nihil icc irco pars illa aciei in plio detrimenti accipit. At si cadat Imperator, quãuis uictores eius milites sint, animo statim consternantur, & uelut oues pastore carentes lupis irruentibus, alius aliò fugam capit ac dispergitur. Quocirca non exercitus modò, sed & patria in periculo est, si in bello cadat Imperator. Quod declarant, quæ post Cyri mortem acciderunt, quæ Xenophon in Expeditione narrauit. Constat præterea ad ciuitatum magistratus attinere, qui sit subditorum habitus, & officia habitui conuenientia. Decet autem reuera imperantibus in omnibus parere subditos, ac promptè exequi, & tanquàm benemeritos post Deum, obseruare. Nam qui uerè principes sunt, ab animo reguntur, & per oẽs humanis parteis eunt curantes. Et quod de medicis Hippocrates pronunciauit, id in principibus quoq; latius & clarius inspicere licet. Ob alienas.n. calamitates, pprias sibi comparant molestias. Quod nõ continget, si Epicteto paruerint, curas autem & labores, & suas res contẽnent, & occupationes, quæ ipsos à seipsis & meliorũ studio auocãt. Nõ solũ uerò obedire oportet, sed & sociã opẽ afferre principibus, qui possunt, & cum ipsis periculũ imperii iũctũ eẽ existimare. Quòd si noĩe tm̃ fuerint princeps, quæ principibus conueniunt non agentes, atq; ita eos tanquàm improbos damnare oportet, debitum tamen magistratui officium præstare, primas cedendo, parendo in quibus non læditur animus. Verùm ad reliqua Epicteti capita reuertendum est, ne cum Epicteti uerba explicare mihi proposuerim, inscius de officiis garriam.

Officia aduersus Deos. Cap. 36.

Pietatis erga Deos id maximũ esse scito, ut de ipsis bene sentias, putesq́; & eos esse, beneq́; ac rectè gubernare. Tum ut ita te compares parere eis, atq; omnibus cedere, quæ fiant: Neque inuitum sequi, quasi omnia ex optimo consilio efficiantur. Hoc enim pacto neq; Deos unquàm culpabis, neq; incusabis, quasi neglectus. Id uerò aliter efficere non potes, nisi ab his te auoces, quæ in nobis non sunt: Inq; ys tantũ, quę sunt in nobis, bonum ac malum ponas. Quòd si eorum aliquid bonum esse, aut malum opineris, necesse est, ut tum ea nõ consequaris, quæ uelis, aut in ea incidas, quę nolis, conqueraris, atq; oderis eius rei causam. Omne.n. ad hoc aĩal natum est, ut quæ noxia uidentur, eorumq́; caussas fugiant, atq, ab his auertantur: Vtilia uerò & eorum caussas quærant, atque admirentur. Non potest igitur qui se lædi putat, eo quod lædere uidetur, gaudere. Vnde & ipsa læsione gaudere impossibile est. Vnde & patri filius conuiciatur, cum his, quæ bona uidentur, filium non impertit. Et Polynicem atq; Eteoclem hoc inter se discordare compulit, quòd Tyrannidem bonum esse putabant. propter hoc agricola cõuiciatur Dijs: propter hoc nauta: propter hoc mercator: propter hoc ipsum, quibus aut uxores, aut liberi interiere. Vbi enim utilitas, ibi pietas. Quamobrem qui ea curat appetere, atq; cuitare quæ oportet, is eo tempore etiam pietatem curat. Libare autem & sacrificare, primitiasq́; offerre secundum patrios mores, unumquenq; decet pure, absq; lasciuia, absq; negligentia, non parcè, non supra facultatem.

Bene de Dijs sentiendum. Cap. 37.

Postq̃ erga ea quæ sũt eiusdẽ generis, hoc ẽ erga hoĩes officia tradidit, ad officia erga p̃stãtiores nobis posteà transit. Nã sumpto à proximis initio, ita ad eminẽtiora ascendere etiam in officiis oportet. Atq; hæc quoq; ex habitu colligit. Habitus enim ac respectus est, tanquam ad caussas primas & eminentes, constat sane, cum tales sint, nulla re nĩa indigere. Quapropter officia ergà ipsos sunt, quæ nos conciliant, ac subiiciunt. Hoc enim est, caussas habitum & naturalem ordinem retinere erga primas & exemptas caussas. Colere itaq; eos oportet, & obseruare, & parere q̃bus quæ ab eis fiũt, & nõ inuitè ipsis cedere, Et aquiescamus ipsis, ut quæ optimo consilio et bona prouidentia efficiantur. Quod facilè consequemur, si cognitio nostra ueritate illustretur, ut itaq; secundum naturam instituatur, Si cognitio rectè de ipsis sentiat, esse uidelicet aliarum rerum caussas: omnia quæ creantur gubernare: puidentia cuncta regere: & pulchrè ipsa ac iustè administrare. Nam siue quis eos non esse censeat: siue cum sint, nõ prospicere: seu & esse & prouidere, non iustè tamen re

cta ratione prouidere, is nunquã honorẽ exhibebit aut colet: nec iis, quæ fiunt, cedet aut pa rebit, tanquàm quæ optimo efficiantur consilio. Quòd si uita sic ad ea, quæ fiunt aiata sit, tanquam optimo omnia consilio regãtur, nec quicquã culpet, nec incuset caussas. Id quod non cõsequemur, nisi bonum & malum nostrum in iis, quæ in nobis sunt, quæramus, ut in his & appetitus et declinationes nostræ uersentur, nec unquam appetentes frustremur, nec declinantes incidamus. Nam si externa perinde ac bona appetamus, & ceu mala quædam externorum declinemus, & iis quæ appetimus sæpe frustremur, & in ea quæ fugimus incidamus necesse est. Frustratos uerò iis quæ appetimus, aut lapsos in ea, quæ fugimus, culpare & odisse horũ auctores necesse est, aut eos, qui sedare poterant, sed neglexerunt. Nam omne animal, aut omnes potius res, bonum appetunt, & mala eadem ratione declinant secundum naturam. Et iccirco quæ noxia aut sunt, aut uidentur, ceu mala cũ caussis quoq; eorũ auersant᷑. Vtilia uerò eodem pacto, aut quæ sunt, aut quæ uidentur, & caussas eorum exosculantur, ac sequuntur, & tanquàm magna suspiciunt. Impossibile est igitur quenquã offendi, qui eo, quod offendere uidetur, se delectari putet: uelut ipsa quoq; offensione delecta᷑ nemo. Velut.n. erga offensionẽ, ita erga offendẽtẽ afficit᷑. At offensio malum est: Malum fugiendum, & odio habendum, ut bonum expetendum & amandum. Necesse uerò eẽ eũ qui apparẽtis mali auctor existimet᷑, odisse & cõuiciis incessere, inde ꝓbatur, ꝙ ne naturalis quidẽ familiaritas facere possit, ut eos, qui apparentibus nos defraudarint bonis, aut in apparẽtia mala iniecerint, nõ oderimus. Iccirco.n. pr̃ filio odiosus conuicia audit, cum apparentia bono filio non communicet, aut quid apparentiũ infligat malorum, uerberans, aut ad continentiã assuefaciens. Quinetiam Polynicem atq; Eteoclem Oedipi filios, licet fratres essent, id tamen & ad singulare certamen, & ad mutuam cædem adegit, quòd dominatu, qui bonum apparet, alter ab altero se defraudari putabat. Agricola itẽ, ubi semina iecerit, nisi leuis imber descẽderit, aut uehementius quandoq; pluerit, aut quid quod lædere aut iuuare sata uideatur, accidat, aut nõ accidat, conuiciatur caussis, quandoq; uerbis maledicens, aut certè cogitatione. Nautæ iniquo animo ferunt, nisi secundus inspirauerit uẽtus, cum tamen sæpe eodem tempore, alter austro, alter aquilone opus habeat: Nec cogitãt, ut oppositi uenti unà afflent, fieri non posse. Sed tñ incusat uẽtorum caussam, quòd prosperum sibi non habent, aut aduersum experiuntur. Mercatores item cum emunt, ubertatem rerũ uenalium optant, cum uendũt, inopiã: & dolent, cũ alterutrũ horum non fiat, & eos, qui uniuersa gubernant, criminantur. Qui uxores, liberos, & deniq; charissima amittunt, ut frustrati iis, quæ appetunt, & lapsi in ea, quæ declinant, gubernantes culpant. Nam eos, qui apparens utile suppeditant, & colere & obseruare solemus. Vnà enim cum utilitatis assecutione obseruantia quædam exoritur erga eos, qui utilitatem præbent: uelut ubi nanciscimur noxium quid, odium & auersatio erga auctores. Quare qui curam gerit, ut appetat pro decoro & declinet, sed non ad externa appetitum porrigit, & declinationem, is in eodem pietatis quoq; curam habet. Assequitur enim semper quæ appetit, nec incidens in ea, quæ declinat, quòd in nobis hæc posita sint, aquiescit & contentus est iis, quæ fiunt, & conuenientem reuerentiam auctoribus eorum exhibet. Qui uerò externa appetit & declinat, nisi hominum sententias suæ existimationi consentaneas reperiat, opes, paupertatem, ualetudinem, morbum, uitam, mortẽ, uictorias, clades: Ventos item, imbres, & grandinem, & omnia sublimia, & omnes certos ac fixos orbes, quoniam in hos appetitus & declinationes se conuertit, necessario multis frustrat᷑ appetẽs: In multa incidit declinans. quare penitus ægrè fert, & culpat auctores, uiuitq; uitam non molestam & laboriosam tantùm, sed impiam erga Deum, ut penitus sit infelix ac miser. Postquàm uerò pietatis erga Deum potissimas caussas tradidit, & inculpabilẽ de ipsis scientiã, ut parcamus & cedamus iis, quæ ab ipso fiunt, uolentes ac læti, ut quæ optimo administrentur consilio: Cumq; id impossibile iis esse dixisset, qui nõ in nobis bonum & malum, sed in externis po-

nunt, deinde honores, & cultus, qui ab externis Deo exhibentur: quorum qui legitimi & recte constituti sunt, Deus prorsus hominibus patefecit, ut Historiæ declarant, ut & nos per ipsos eius familiaritatē consequamur, & externa ꝑpter oblationē illuminatiōe diuina fruētia, copiosa nobis & utilia gignātur. Nam quemadmodum animum, cuius caussa est, ipsi offerimus ac consecramus, expurgantes ipsum per certam ac scitam de ipso cogitationem, & uitam secundum naturam: ita in hoc oportet & corpus, quod ab ipso datum est, offerre, purgādo extrinsecus, & apertas & occultas maculas abluēdo. Expurgatus uerò ac emundatus dictis modis animus, per purgatum instrumentum, & puris indumentis ut potest utēs, rerum externarum, quæ à Deo dātur, offerat primitias. Nam sanctum & æquū est, iis qui dederūt, offerre primitias. Non quòd his indigeat Deus. Nam nec nostra bona uita opus habet, nec rectis de se opinionibus. sed uelut nos per ipsa pro debito modo nobis idonea facta ad rerum diuinarum splendorem, Deum excipimus, qui dignus est: ita ex externis quæ offeruntur & sacrantur è pura uita conuenienti modo sumit, ut sic diuinam bonitatem, ut & diuinam actionem ostendat. Nam se morbo comitiali liberatum aliquis confessus est, & per harum rerum participationē, & grādines, & maris procellas sedauit sæpe aliquis horum sanctorum uirorum. Et qui sanctè ipsa offerant, horum habitu participant & ipsi diuinā illuminationē, simulq; opus bonum & gratum faciunt, cum iis, qui dederūt, primitias offerant ac dicent. Et, quod dixi, per exiguam rem oblatam uel tota species illa Deo dicatur ac sacratur, & cōsequitur cōueniētē sibi à Deo opem. Hæc uerò, inquit, omnibus iuxta patria instituta facere cōuenit. Nam Deus simul ubiq; adest semper cū oibus suis diuinis potestatibus. Nos uerò in unam speciem secreti humanam, cum multa sint quæ à Deo producta sunt, tū species humana, cūq; in unā uitæ formam nūc, & uitæ electionem ab uno seiuncti, & in parte breui uniuersi, & ipsius terræ sepositi, alius aliā diuinā bonitatē participat, aliis locis, aliisq; temporibus. Vides igitur, quādo apud nos dies est, apud alios noctem esse: & quando alibi hyems, alibi æstas. Atq; hic quidem hæc gignūtur, plātæ, animalia: in aliis uerò locis alia: cum & terra, & quæ in ea seposita sunt, diuinas bonitates recipiant. Singuli itaq; per quæ & Deus ostendit, & experimentum docuit, diuersis ut locis & uiuendi rationibus, ita & temporibus, & moribus, & rerum, quæ eduntur, aut offeruntur, uarietate, Deum placant. Et ubi pro Dei dignitate quæ ad Deum pertinent, operantur, apparet diuinæ illuminationis in certis diebus actio, quæ in aliis prorsus non fit. Nam ægroti curantur, ac tunc prædicuntur quædam utilia. Adeò magnam uim ad diuinam familiaritatem temporum differentia habet: Ita quoq; locorum, & corū, quæ dicūtur, fiunt, offeruntur congruentia. omnia uerò, inquit, quæ ad diuinum cultum spectant, purè agere oportet, absq; luxu. Impurum enim pura attingere nefas est. Puro autē & syncero si quid adulterinum aut sordidum immisceatur, inquinat illud. Nihil igitur lasciuè facere oportet. Nam lasciuia cōtrahit quādam à pauimento immunditiā. Nec cum negligētia, inquit, oportet aliquid horum facere, ut per socordiam quid necessarium relinquas, aut cōfundas, aut immutes. Velut enim si elementa ex oratione detraxeris, aut mutaris, non superest orationis forma: ita diuinarum orationum si desit, aut mutatum sit, aut confusum aliquid, non amplius Dei illuminatio manet. Quinetiam corrumpit eorum, quæ fiunt, uim facientis negligentia: uelut potissimum ad perfectionem atq; absolutionem aliorum, intenta ac propensa cum scientia alacritas agentis erat. Qui uerò circa dei cultum negligens & secors apparet, cui nam rei operam dederit? Sed nec irreuerenter, inquit, accedere oportet, hoc est sine reuerentia. Quò enim honorificētiores ac reuerētiores sunt res diuinæ, eò magis ipsas uelut tales participamus. Nam & nos uenerationi Dei pro uiribus subiicimus, & corroboramur. Cum uerò dixisset negligenter faciendum non esse, ueritus est, ut apparet, nequis ipsum dicere suspicetur, uel etiam supra uireis hæc faciēda esse. Nam primò, ubi esset modus ille optimus, nisi in diuinis, quæ omnia moderantur, ac optimis finiūt terminis? Præ-

terea

tereà nihil æquè opera diuina sustinet & copulat, atq; quòd eundem modum continuum & inexhaustum in seipsis & re & uerbis tuētur, & nihil pro uiribus immutant. Impossibile uerò plerunque est supra uires ea facere. Videntur porrò qui Deum nimis ambitiosè colunt, tum eum dãnare auaritiæ, tum ignorare, quem usum hæc ad diuinum honorem præbeant, quoniam primitiæ eorum esse uolunt, quæ nobis à Deo data sunt. Hunc igitur uirũ admirandum secutus, ut ut potui præsentem orationis formam explicaui.

Deum & esse, & prouidere, demonstrationibus confirmat. Cap. 67.

Verùm quoniam initio capitis breuiter treis illas circa Deum quæstiones ostenderat, quorum confessione omnis legumlatio omnisq; morum bona tractatio indiget, esse uidelicet, prouidere, & rectè iusteq; omnia gubernare, nil uetat ob curiosos nimisq; anxios homines, etiã demonstrationes quæstionibus adiicere. Natura itaq; non hoïes modò, sed & muta animalia, plantæ, lapides, omnesq; denique res, pro cuiuslibet facultate, singula ad Deum conuersa sunt. Homines uerò prætereà & statim à pueritia à parentibus ad dei cultum assuefiunt, cõmunesq; hominum sententias sequuntur. Omnes nanq; homines, & barbari & græci, tam priore infinito tempore, quàm nunc, licet alii aliis sententiis Deum esse censent, præter Acrothoitas, quos refert Theophrastus cum Dos esse negarent, à terra statim esse absorptos. Aut siquis alius unus aut alter in omnibus transactis seculis memoriæ traditus est. Fit autem ut quidam, & quia sine demõstratione credũt, & quia uident, bonos quãdoq; aduersa, quandoq; malos in seipsis prospera fortuna ut quas habent conceptiones, despiciant, locumq; tragœdiæ dent, ut dicat,

Habere nullos 'ne referam cœlum Deos?
Nam me secundæ res malorum territant.

Benè itaq; haberet, ut hi Epicteto parẽtes, non in externis, sed in nobis bona & mala ponerent. Ita enim neq; bonus fortunam patietur aduersam, nec secunda malus fruetur. Verùm per demonstrationẽ, ut fieri potest, confirmare indemõstrabiles de Deo præsumptiones cogitemus. Principium autem contemplationis fuerit, ut quid Dei nomen significet, uideamus. Sciendum itaq; primos, qui id nominis indiderũt, cœli astra παρὰ τὸ θέειν, hoc est à cursu, & celeri motu, θεοὺς nominauerunt. Temporis autem progressu, & ad incorporeas atq; intellectiles rerum caussas nomen id retulerunt, & usq; ad unum omnium primordium & caussam. Ita ut nomen significet, principium rerum, & caussam intellectilem primam, ac præcipuam. Nam aut temerè & fortuitò omnia fiunt, aut antecedentes ac præcipuas caussas habent, à quibus fiunt. Verùm quod temerè & fortuitò fit, nec certam efficientem caussam habet, nec certum alicui signum est. Non enim temerè & fortuitò, sed præcipuè substituit caussa, & scopum constituit: non ordinem atque consecutionem eandem, quæ talium semper generationem conseruat. Omnia uerò quæ ex proposito ac natura fiunt, scopus certus agenti sunt. Nam & Agricola serit & plantat, scopum sibi proponens id, quod nascitur. Animalium item coitus ad sobolis procreationem spectat. Et consequentia & ordo ab initio ad finem usq; generationis seruatur: Aliis in principio, aliis in medio, aliis in fine iuxta eandem seriem sequentibus. Nam semen iactum in stirpibus quidem aqua madefactum, radices emittit, germinaq;, hinc folia & ramos educat, & reliqua, donec fructum reddat ac maturescat. In animalibus fotum menstruo semen, producitur & effiguratur in fœtum: Qui nutritus ac absolutus editur in lucem tempore conuenienti. Eademq; series semper, & consecutio generationis seruatur. Si igitur, quæ secundum naturam propositumq; fiunt, & caussam certam habent, & scopus certus agenti sunt, et consequentia ac ordine semper eodem perficiuntur: uidelicet coniungitur quod secundum naturam est, & quod est secundũ propositum: omnia deniq; quæ præcipuè in mundo fiunt, non temerè nec fortuitò, sed per præcipuas caussas gignant necesse est. Oportet igitur præcipuas eorum, quæ fiunt, caussas existere. Et si genitæ ipsæ fuerint, necesse est harum alias

præcipuas caussas esse, donec ad ingenitum peruentum sit: Quæ non amplius sunt ex iis, quæ gignuntur, uerùm esse magis propriè dicuntur, cum ingenita prorsus sint, tanquam in se ipsis caussam habeant suæ essentiæ, & non extrinsecus. Quare uel suapte natura subsistũt primæ illæ & ingenitæ cãæ, aut iis quæ suapte natura subsistũt præstãtiores sunt, ut in progressu sermo patefaciet. Similiter & à motu ascendentes, primas mouentes caussas, uel suo se motu mouentes, uel immobiles reperiemus. Nam ἑτεροκίνητον ab altero quopiam mouetur. Hoc uerò alterum, uel & ipsum ab altero, idq; in infinitum, quod impossibile est. Nihil enim hac ratione neque mouebit, neque mouebitur, nisi sit principium mouens: Vel necesse est primum ἑτεροκίνητον à per se mouente moueri, uel ab ĩmobili: At quod in omni motu immobile est, sistit potius & figit, & ut semper singula eodem habeant modo, nec unquam euarient, præstat. Necesse igitur est ipsum per se mouẽs esse, quod primò mouet quæ ab altero mouentur. Hæc uerò sunt, quæ gignunt᷑ & intereunt, crescũt & decrescunt, & qualitate euariant, a locoq; in locum migrant. Neq; enim quod gignitur à se gigni possibile est. Ita enim esset ante quã gigneret᷑. Neque quod crescit, à se augetur. Adiectione enim augetur quod augetur. Nec quod alteratur, à seipso alteratur. Nam à cõtraria qualitate alteratur id, quod alteratur. Sed nec quod locum mutat, per se mutat. Quoniam cum corpora sint omnia, quæ his mouent᷑ motibus, ea non posse per se moueri ostendetur. Oportet itaque quæ proxima sunt iis, quæ gignuntur, & aliunde mouentur, caussas quæ per se moueãtur, esse. Etenim si cogitaremus omnia cõsistere, non aliunde inciperet moueri ĩmobile, quàm à per se mobili. Nam & ĩmobile semper eodẽ habet modo, & aliunde mobile mouentis uim expectat. Oportet præterea simplicia esse ipsa primordia. Nam composita è simplicibus constant, & naturà antecedũt simplicia cõpositis. Videamus itaq; ad superiora reuersi, & à proximis exorsi quæramus, an possint corpora in primordii rõne assumi, & esse eiusmodi, cuiusmodi primordia illa prima esse oratio supposuit. An neq; per se subsistere, nec per se moueri possint hæc corpora, quæ mouentur? Nam quod per se mouetur, aut parte mouens, parte motum dicitur per se mobile, aut totum se mouens, & à seipso motum. At si parte mouet, parte mouetur, à parte mouente rursum eadem interrogãda, utrum per se mobilis, an aliũde mobilis moueat. Et si ita est, aut in infinitũ progrediemur, aut per se mobile supponemus primum, tanq̃ totum mouẽs, & totum motũ. Eadem quoq; de per se subsistenti dicenda sunt. Necesse enim est quod primum & propriè per se subsistit, totum subsistere, & totum subsisti. Quod uerò tale est, insectile statim sit & indiuiduũ necesse est. Nam si sectile aut diuiduum sit, non potest totum toti sibi congruere, ut totum sit mouens, totumq; idem motum, aut totum subsistere, & totũ subsisti. Quinetiam ne simplicia quidem corpora constare possunt ex subiecto aliquo, atq; specie, multis absoluentibus ipsam, magnitudine, figura, colore, & sĩlibus. Quæ non sunt primordialia, sed primordialiũ formarum cõicationes, quæ in subiecto aliquo informi communicante fiant. Nam ubi primariæ sunt formæ, est quodlibet ipsum id, quod est, nec indiget aliquo communicãte informi. Vbi uerò cõmunicatio est à primariis, oportet penitus aliud esse cõmunicãs informe, quod per se existat. Vel primordia igit᷑ incorporea & indiuidua sunt, simpliciaq; ac primofacta, per se mouentia, suapte natura subsistentia, aut aliquid his p̃stantius. Corpora uerò talia esse non possunt. Corpora igitur primordia non erunt. Quid igitur est per se mouens, quod cum moueat corpora, quæ ab alio mouentur, primordii aduersus ipsa rationem teneat? An'ne id est, quod intrinsecus mouet? Nam si ab altero moueretur, nõ profectò intus id moueri diceremus, sed extrà, ut corpora. Quod enim propriè ac uerè mouet, est quod primò mouet, uelut si manu & baculo mouerẽ lapidem, ego sum propriè mouẽs. Quid est igitur, quod intus corpora moueat? Quid aliud q̃ hoc quod animum uocamus? Nam quod animatum est intus mouetur. Et quod intus mouetur, animatum est. Si itaque animus intus corpora mouet: Quod uerò intus corpora mouet, est quod per se mouetur:

Animus certè erit, id quod per se mouet, primordium & caussa eorum quæ fiunt, & mouẽtur existens, & rões horum in se habens, per quas & gignuntur genita, & mota mouẽtur. Nam si in corporibus primofactæ formæ non sunt, sed per se mobili proximè subsistunt, uidelicet cuiuslibet formæ, quæ in corporibus est, & omnium deniq; genitorum, primofactum primordium animale est. Et illa sunt puriora ac synceriora. Nam, ut de uno loquamur, pulchritudo corporum in carnibus est, neruis, & reliquis, quæ aĩalium, puta, corpus perficiunt, quæ pulchra ea quoad potest reddit, sed particeps ipsa quoq; est eorum deformitatis, atque in ipsa immersa. Pulchrũ uerò animi ab his oĩbus liberum, cũ non pulchri imago, sed pulchritudo summa existat, ratio pura est. nec partim pulchrũ, partim non, sed totum in toto pulchrum. Quare quoties animus in se pulchrum uidet, aut alterius animi, despicit iam corporalẽ pulchritudinem, & comparatione illius respuit. Ita quoq; aliarum formarũ quælibet primofacta & pura est in animo. Porrò cõstat aĩos modo, quo corpora, diuisos ac distinctos esse, cum propter corpora moueãt. Et alii cœlestiũ, sublunarium alii sunt. Nam absurdum foret, ut deteriora corpora animata essent ac uiuerent, præstãtiora inanima ac mortua existerent. Rationem prætereà eandem animi inter se habent, quam corpora, cum cœlestes sublunarium caussæ sint. Magnifica profectò atq; honorifica res est animus, ac præsertim cœlestis, qui ad primordiũ rationem idoneus est, nõ tamen primi. Nam id qđ suapte natura mouet ac subsistit, cum iis q̃ ab altero & aliunde subsistũt antecedat, duplicem tamen habet quandam rõnem, mouentis, & moti: substituẽtis, & substituti. At oportet ante cõpositum simplex esse, & ante Duo ipsum Vnum. Prætereà à se mouẽ ipsum per se mobile: mouetur tamẽ & euariat, licet non substãtia, sed actionibus: cum corporalibus motibus non cieat (nam quo ad illos ĩmobile est) sed aĩalibus, quibus nomina indita sunt, considerare, cõsultare, cogitare, opinari: quibus ipse motus mouet corpora corporalibus motibus. Verùm ante id, quod utcũque euariet, esse oportet quod prorsus ĩmutabile atq; inuariabile sit, ut euariãs in sua nã maneat. Nam motus quidem & mutatio tam in cœlestibus, quã sublunaribus inanimis inest, primo illo mouente. Quod uerò semper eodem modo, & circa eadem, & una rõne, unoq; ordine, undénam cœlestibus inest? Vnde & sublunaribus ab eisdem ad eadem alternus orbis, elementorum, horarum, animalium, plantarum? Nam licet numero eadem non maneant reuoluta, uelut in cœlestibus, specie certè eadem restituuntur. Ex igne enim aër, ex aëre aqua, ex aqua terra, & iterum ignis. Et post uer æstas, & autũnus, & hyems, & rursus uer. A frumento stipula, herba, spica, & denuò frumentum. Ab hoĩe semen, menstruũ, & iterum hõ. Vndénam igitur hic semp sibi constãs tenor? Nam motus uariat, & alterat. Patet itaq; ab ĩmobili aliqua atq; oĩno ĩmutabili caussa, quæ semper eodẽ modo ac similiter se habeat. Siquidem ante id, quod modò hæc cogitet aut agat, modò temporales functiones habeat, existat nẽcesse est aliquid, quod semper eodem modo ac similiter, & in insectili ac immobili seculo omnia agat. Quantò enim præstantius sit eo, qđ per se mouet, ut non solùm substãtia ĩmutabile, sed potestate & actu, perspicuum est. At præstantius necesse est substantia deteriori antecedat. Atq; opus est, qui ad primordia ascẽdit, quærere si quid supposito primordio præstantius esse possit: Et si inuentum fuerit, rursum in illo quærere, donec ad supremas illas conceptiones animi peruenerimus, quibus illustriores ac antiquiores nõ habemus: nec idcirco ascensu supersedere. Neq; enim uerendum est, ne frustrà inscendamus, maiora quadã ac supergredientia prima primordia de ipsis sentiẽtes. Haud. n. fieri potest, ut saltũ tantũ nostræ cogitationes faciant, ut dignitati primorum primordiorum adæquari, nedum ea superuolare, possint. Vna enim hæc est ad Deum intentio optima, et ut fieri potest tutissima, ut cum eorum bonorum, q̃ cogitatione cõplectimur, magnificẽtissima quæq;, sanctissima, primordialia, tam nomina quam res ipsi tribuerimus, cõstanter sciamus nihil nos Deo dignũ ipsi attribuisse. Sed nobis ad ueniã satis est, quòd nihil his maius ac eminẽtius habeamus. Reuersi igitur

sermone à per se mouenti ad immobilem & omnibus modis inuariabilem caussam, semperque eodem modo ac similiter habentem, substantia, facultatibus, & actionibus, & in seculo collocatam, quod tempus iis, quæ mouentur, sufficit ac suppeditat: & multarum caussarum quæ in se mouente sunt, principaliores caussas in immobili contemplemur, imobiles, æternas, perfectas, mutuoque ita nexas, ut singulæ sint omnes ob unionem, itellectili tamen discretione inconfusa manente. Vnde'nam enim formis, quæ in mundo sunt, discretio adesset, nisi mundi opifex Deus secūdū discretas in se caussas eas produxisset? Non tamen talis archetyparum illarum formarum discretio intelligenda est, qualem in hisce simulacris conspicimus: Nec animalium rationum talis discretio est, qualis corporalium. Verùm quemadmodum quilibet octo orbium, siderumque quæ in ipsis sunt, & pars est totius cœli, & per se absoluta pars, substantiam integram habens, facultatemque atque actiones proprias: Nec cœlestia tantùm, sed & sublunarium formarum quæ semper sunt, quælibet, ut forma hominis, æqui, fici, aut uitis. Absolutæ enim atque integræ sunt harum quælibet, licet non per indiuidua, ut cœlestia, sed per species, quæ suis differentiis cōplent ac perficiunt mundum. Simpliciorum item generum quodlibet, quæ species constituunt, ceu substātia, motus, quies, idētitas, alteratio, pulchritudo, ueritas, modus, & uniuersa, quæ i corporali mundo sunt, quodlibet & perfectum est iuxta suam speciem, & multas differentias habens in se. ipso, aut potius in uniuersi anima, perfectum quodlibet præexistit, principium & caussa huius corporalis, per se mouens, coniunctè eius differentias complectens: & ad illud hæc nostra assimilata sunt cū perfectius, purius, ac magis exemplariter existat: multoque magis horū archetypæ formæ intellectiles ac diuinæ. Ob unionē.n. ut dixi, quæ in illis est, nō per cōtactū aut cōtinuitatē, aut corporale tēperamētū. sed per indiuisibiliū atque insecabiliū formarū in unū cōplexionē, & incōfusa manet discretio, & quodlibet perfectionē atque integritatē habet, & est principiū, ac primordiū quodlibet suæ speciei usque ad extrema. Multa aūt primordia omnium, ab uno primordio primordii dignitatem recipiunt. Nam ante multa necesse est esse caussam. Quare & multorum quodlibet inest, nō tale tamen, quale id, quod est ante multa. Vnum enim è multis pars est multorū, & in parte simplicitatem unius recepit. Quod uerò ante multa una caussa multorū existit, ꝓ sumpsit in seipso multa una unione, cum multa sit ante multa, caussa caussarum, primordium primordiorū, Deus Deorum, uelut ab uniuersis suapte natura percelebratur. Est item bonitas bonitatū. Primam enim per quālibet proprietatē, caussam oīa ea expetūt, quæ post ipsam sunt. Quod uerò omnia appetunt, id bonum est. Principium uerò principiorum, bonitas est bonitatum, potestas item potestatum. Quodlibet enim primordium supremā habet potestatem in sua forma. Principium uerò principiorum supremam supra omnes potestates. Quinetiam cognitionem habeat omnium summam necesse est. Nihil enim eorum, quæ ab ipso producuntur, ignorarit. omnia uerò ab ipso facilè producta sunt. Quare necesse est, quēadmodum demonstratiuè à partibus ad totum se recepit oratio (non enim cognosceremus totum quantum, & quale esset, nisi parteis prius inspexerimus, quinetiā unum sæpe particulare nacti, illud totum esse putamus) Ita honorem & cultum per parteis ad totum mittere oportet, quando quodlibet principiorum principium, & propterea toti cognatum est, uelut etiam cognomē. Neque enim nomen solùm cōmune, sed & ipsa primordialis dignitas, primordiorumque excellētia iis, quæ ab ipsis promanāt, ab uno & toto, multis & partialibus indita est. Quòd siquis ægrè ferat, eodem uocare nomine & partialia & totum, primò haud sine ratione ægrè fert rem, cum & rei uideatur commune esse primordiale: Deinde illa quidē, primordia nominet: hoc uerò, primordiorum primordium. Licet enim partialium quodlibet primordiorum primordium sit, tanquàm magis partialia in se continens: (Est enim & naturalis pulchritudinis primordium, & corporalis alterum: Et cōmune quodammodo ambobus, pulchritudinis quā pulchritudo est primordium) Attamē ꝓpriè primordiorum

primordium illud est, quo eminentius aliud primordium non est. Ita quoq; caussa caussarum, & Deus Deorum, & bonitas bonitatum. Præterea multò magis animaduersione dignum est, quòd uniuersorum caussæ, quæ supra omnes res existit, nullum propriũ nomen est. Omne autem nomẽ ad discretam quãdam intelligentiam refertur. Verùm ab iis, quæ post ipsum sunt, nobilissima ac magnificentissima quæque ipsi attribuimus. Ipsum igitur, ut dictum est, Dei nomen, à cœlestibus translatum est, quippe quæ uelociter moueantur, ac currant. Et pium ipsum uocamus, humanum, bonum, dominũ, potentẽ, nec pudet ea ipsi adscribere, quæ multis quoq; hominibus accõmodãda censemus. Cæterũ quãtum ad primam trium quæstionum pertinet, quæ ostendere ꝓposuerat, prima esse rerũ primordia, Deumq́ oĩum cãm, satis hæc sint, licet fortasse nonnulli ob accliuẽ atq; inuium ascensum ad perfectissimã absolutionem aĩum despõdeãt. Haud.n.sum ignarus fore quosdam, quibus hæc superuacua uideãtur, ut ei qui pro ꝓcipuo scriptionis scopo Epicteti Enchiridium explicare mihi proposuerim.

Deum prouidere omnibus, omniaq́; gubernare. Cap. 68.

Secunda quæstio fuerat, Deum prouidere omnibus, omniaq́ gubernare, quod iam latius ex prædictis ostensum est. Non tamen ab re fuerit, ut præcipuam ac priuatam inquisitionem habeat. Nam sunt nonnulli, qui Numina quidẽ esse existimant, & qualia ipsam sermo esse dixit, bona, ui summa prædita, ac cognitione absolutissima: Verùm res humanas, quippe quæ exiguæ, uiles, aspernandæ, eorũq́ cura indignæ sint, despicere ac contemnere. Quẽ certè affectũ cõceperunt ob rerum humanarum apparentem inæquabilitatem ac uicissitudinẽ, ubi eos q mali uidentᷣ imperare uidẽt, diuites esse, corpore ualidos, & usq; ad senilem mortẽ fortunatos, atq; uelut hæreditariam quandoq; filiis fortunã relinquere. Bonos cõtrà ab his ĩmedicabilia uulnera accipere, nulla tamen sequẽte, ut putant, ultione. Ex iis enim caussis, partim, ut prius narratum est, Deum tollere audẽt: partim etiam esse, & talem esse ob cõmunes conceptiones confitentur, sed prouidentiæ circa res humanas non credunt, idq́ tum maximẽ, cum in calamitates priuatas inciderint. Non enim tantã aiunt iniquitatem fore, ut mali impuniti, & boni inulti relinquantur, diuina prouidentia curam gerente. Dicendum igitur de his communius atq; uniuersalius ex diuisione interrogando sermonẽ. Si.n.rebus non ꝓuident Numina, uel ꝙ prouidendum esse nesciunt, non prouident. Et si hoc, aut quia nequeũt, non prouident: aut quia nolunt. Quòd si ob impotentiam, uel propter magnitudinem, hisce scilicet rebus Dei potentiam superantibus, aut propter exiguitatem atq; uilitatem, eius prouidentiam fugientibus. At si cum possint nolunt, aut propter luxum ac secordiam negligunt: aut rursus propter exiguitatem ac uilitatẽ non prouident. Si potest, sed non uult, & licet possit, despicit. Cum existat hæc diuisio cõmuniter: tunc ad omnes ipsius sectiones occurrendũ est: Deum, cum talis sit, qualis suppositus est, cognitione exactissima, ui potẽtissima, uoluntate optima præditus, atq; omnes res à seipso producens, nec ignorare eorum, quæ ab ipso producta sunt, curam habendam esse, quod nec sordidissimorum brutorum est. Nam illa suorum fœtuũ curam uel maximam agunt. Nec non posse par est, nec quòd maiora sint, (Quì enim productum producente maius fuerit?) nec quòd uiliora sint, quàm quæ curãda sint. Nam si talia essent, cur deniq; producta forent? Quinetiam neq; uoluntas culpanda, nec quòd ob luxum ac secordiam negligentem. Hominum enim sunt hi affectus, eorumq́ improborum. Nam ne muta quidem animalia ob luxum ac ignauiam suos negligũt fœtus. Nec ut uilia, hæc contemnit, quæ ipse ꝓducere nõ dedignatus est. Quare omnibus modis impoſſe est non prouideri à Deo iis, quæ ab ipso procreata sunt. Priuatim deinde aduersus eos dicendum est, qui diuinam excellentiam sentiunt, aut sentire sibi persuadent, humana uerò malignẽ carpunt, & indigna diuina prouidentia putant. Non ex uilissimis quibusq; hoĩem in uniuerso, & res humanas esse. Nam animal est homo, animoq́ preciosissimo ac nobilissimo præ-

ditus est ac rationali. Omnium præterea genitorum animalium piissimus est. Quare nec aspernanda nec uilis Dei possessio est Homo: nec res humanæ, quæ à rationali animo fiũt. Quin si quis paruam rem atq; exiguam hominem esse supposuerit, faciliorem certè eius curam esse fatebitur. Nam quẽadmodum sensus maiora facilius percipiunt, exiliora ægrius, (nam ad uisum & auditum minora grandioribus perceptu sunt difficiliora) Ita uires ferũt minora facilius, eaq; tenent magis quàm grãdiora. Expeditius enim ac facilius est minam portare, quàm talẽtum: Arare, quàm fodere: semiiugerum, q̃ iugerum. Quare quò quis minorem atq; exiliorem suppo net, eò faciliorẽ curatu esse fatebitur. Præterea si toti mundo Deus prouidet, eius quoq; partibus prospiciat necesse est: uelut artes quoq; faciunt. Nam Medicus cum totius corporis curam hñc sibi proposuerit, haud despexerit ptes. Nec imperator, nec dispẽsator, nec uir ciuilis. Partibus enim neglectis totum deterius habeat necesse est. Non itaq; Deus deterior hominibus rerum suarum curator apparuerit: Qui homines unà eademq; arte, & totum & parteis curant, ipsarum quidem partium, sed præsertim totius gratia. At nos quædam, quæ fiũt, iniquo animo, ut dictum est, patimur, quatinus hæc toti conferãt inscii. Quòd si quis Dei erga res humanas prouidentiã, cum magnã inæqualitatem ac uarietatem habeãt, & affectus & perturbatum tumultũ Deo afferre putet, ipsumq; à sua beatitudine deiicere: is se humanis curatoribus similes ipsos præstãtiores facere ostẽdit, & modum curationis ignorat, cum putat Deum, perinde ac nos, si cuiusquã curam habeat, ad præscriptum ipsi præstò sit, omnibusq; quæ ab ipso aguntur, nec cuipiam alterí uacet necesse eẽ. Nec cogitat is, uel legũlatorẽ, statutis in ciuitate legibus, quid quisq; agẽs aut patiẽs, nacturus sit, hisq; curatoribus usq; ad minutissima quæq; ipositis, intra suũ ipse ritũ manet, & si leges seruentur, per ipsas ciuitati prouidet. Non reputat præterea Deum, cum uniuerso creato, aĩatas esse conspexisset nostras actiones, multumq; uirtutis, & multum uitii retinere, cõmentus est, qualem quisq; semper uitam uixerit, quali pœna mulctandus sit, & quos in locos deteriores migraturus, quibusq; animis componẽdus, malas uidelicet cum malis, meliorem cum bonis. Quid item agendũ, qd patiẽdum pro dignitate alii ab aliis. Vt tales tamen aut tales essemus, & hanc aut illam dignitatem reciperemus, uoluntatibus nostris Deus caussas reliquit. Quales enim uoluerimus, tales sumus ob animi libertatem, & quòd in nobis uirtus, uitiumq; posita sunt. omnibus item Deus facultates indidit, quæ pro dignitate eligerent usq; ad mininam actionem. Nec tum semel his excogitatis, in principio ullo temporis à prouidẽdo abscessit, ut homo quispiam legum sanctione contentus fuisset. Non enim temporis principiũ habet diuina bonitas, à qua omnia bona redDũtur, quòd ea bona sit. Nec unquã Deus modò adest, modò abest. Corporalia enim hæc sunt. Verùm ipse semper omnibus præstò est, ab omnibus absolutus, & prouidẽtia ipsius, quòd semper ipse, & ubiq;, & bonus sit, in omnibus rebus explicata est, pro cõueniẽte cuiq; dignitatis portione. Ac uelut in Solis luce omnia illustrantur, & partim uident, partim uidẽtur, alia pullulant, quædam animantur, aliqua canent, nõnulla nigricant, quædam glutinantur, quædam colliquantẽ, quodlibet pro sua aptitudine participans ipsius una & multã bonitatẽ illaboriosè, cũ nihil ad quicquã horum Sol laboret, nec à sua beatitudine auellatur: Ita multò magis Dei bonitatem, quæ & Solem mundo largita est, omnia illaboriosè participant, cum ad hoc tamen nihil laboret Deus, nec diuellatur. Neq; enim agens contrà patitur, ut res naturales, nec pro onere bonitatem habet, ut laboret ea aliquãdo consumpta: Neq; aliàs alia facere aptus, uelut animus noster, impotens est interdum ad mundi puidentiam, aut ad intẽtionem illam ad bonum, quod à mũdo prorsus absolutum atq; exẽptum est. Nam si humanus animus pfectus, atq; ad Deum reuersus, per sublimia uagari dicitur, & omnem mundum administrare: quãtò magis animi conditor Deus inseparatim rebus à se procreatis prouidebit? Quin etiam nec ea, quæ eueniunt bonis aut iis qui mali uidentur, hominibus, digna sunt quæ puidentiæ mouẽat pfecturam. Falsum. n. est, quod pu

tamus

tamus, bonos uidelicet quãdoq; infelices esse & male accipi, malos beatos ac felices esse: si modò uera sunt illa, & nos non frustrà prius declamauimus ostẽdentes bonũ eum hoiem esse, qui bonum & malum humanum in nobis collocaret: Et is nunquã frustratur quando appetit, aut incidit cum declinat. Quòd si hoc uerum est, mali nihil unquam accipiet. Nam qui dubitationẽ mouent, mala hæc esse dicunt, frustrari iis, quæ appetimus, aut incidere in ea, quæ declinamus. Quare nunquã infortunatus est bonus homo, quà homo, nec malè accipitur. Contrà malos homines omnes fatebuntur, qui præter naturam ut homines uiuunt. Hi enim sui iuris ac libertatis obliti, quæ naturam humanam effigurat, in externis bonum & malum humanum constituunt, in corporis ualetudine, diuitiis, principatu, familia, alimentis, & reliquis id genus: Mala uerò in contrariis. Quare quæ in his bona uidentur, appetunt: illa, ut mala declinant. At necesse est in externis, cum in nobis non sint, & appetentem frustrari, & declinantem labi. Quæ ambo non sunt bona ne ex sententia quidem dubitantium, sed mala. Quare mali mala sæpissimè incurrentes, si parumper resipuerint, sentient profectò, se nec bene fortunatos nec felices esse, sed potius miserrimos. Imo siquis eos in externis uel sæpius uel semper prosperos esse supponat, multò magis infelices sunt. Nam quoties hæc consequunt, augẽt magis suam præter naturam, quà homines sunt, affectionem. Verùm omni quod præter naturam eius est, uitium & infelicitas est. Cæterùm quoniam non demonstrationis necessitatibus tantùm audientes cogere oportet, sed & persuadere, si quæ de bonis iisq; quæ mala uidentur à nobis dicuntur in externis, electuri sint, reuoco in memoriam quæ prius narrata sunt, ea scilicet quæ mala uidentur, mala non esse, licet labores, licet molestias habeant: Nec bona, uerè ac propriè bona esse. Sed quæ mala dicuntur, ægrotantium remedia sunt, ualentiũ exercitationes. Bona uerò & ipsa ad usum & dignitatem accipientium data sunt. Nam diuitiæ ei, qui uti potest, pulchrè datæ sunt, tum ꝑpter erga seipsum in hac re cõmoditatem, & erga alios, incrementumq; benefici propositi: Prauis uerò, ad ultionem & pœnam. Nam auari totum uitæ tempus circa lucra laborantes, cum consternatione, uigiliis, ac formidine semper adiuncta, nullum usum, nullam delectationem è pecuniis capiunt. Et quæ nam hac fuerit iustior pœna & urbanior? Nepotes uerò, mendicis egentiores sunt. Quin multi à luxu ob diuitias interficiuntur, in multasq; incidunt torturas, suiq; curatione meritò frustrantur propter diuitias, cum nec sciant quid bonum sit, nec uitam secundum naturam homini conuenientem inquirant atq; agant. Ita autem & ualetudo, principatus officiunt, & magis malis. Et partim ad ultionem, partim ad pœnam dantur, ut affectuum collisione expleti, euomant aliquando affectuum sordes, & ad pœnam deinde ac expiationem idonei reddantur. Curæ nanque illi est, qui animis prouidet, non ut actiones per affectum animi inhibeant, aut ob timorem, aut alios affectus, sed ut habitum ipsum prauum deleant. Verùm dicta hæc prius sunt uerbosius, & inde petat, qui opus habet. Et hæc hactenus aduersus eos, qui rationibus Dei prouidentiam euertere aggrediebantur.

Deum iustè omnia gubernare, nec muneribus flecti, aut affectu inuerti. Cap. 69.

Verùm iam cum seruatore, ut in ueteri lege est, & tertiam (cum seruatore) impietatis rationem aggrediamur, quæ esse Numina, & humanis ꝓuidere fatetur, sed inuerti muneribus, donariis, & lucelli largitionibus, ut nostri seculi homines putãt, ita ut iniusti, iniqui, raptores, si exiguam in hæc portionem impendant, & eos qui à talibus orari fingunt, persuadeãt muneribus, & ueniam faciendi accipiant, & pœnam criminis nullam dent. Nonnulli uerò nostrorum hominum dignum diuina bonitate putant, permittere, & ignoscere peccantibus, indiscretè opinor dicentes, ac sentientes. Quid igitur ad hanc rationem respondebimus? Ea itaq; cum duplex sit, diuidenda est, & in eum, qui iniuriam facit, & in eum qui accipit: considerandum item quid hæc uocata permissio, & uenia, in iniustos agat: Quomodo iis, quibus facta iniuria est, adhibeatur. Si enim bonum est & utile in-

iustis, ut iniuriam facere permittantur, & pœnam non luant, forte à Deo fuerit permissio. Nam omne bonum inde in res permanat. Si uerò maximum ipsis malum est, ut adiuuentur ad faciendam iniuriam, & pœnas non dent erratorum, qui nam horum auctor fuerit Deus? Cum multis rationibus ostensum sit, bonorũ cum omnium auctorem esse, mali nullius? Iniuria itaq;, iniquitas, incontinentia, & contumelia cum præter naturam sint animi affectiones (siquidẽ contraria horum secundum naturam sunt) morbi, turpitudines, ac uitia animi existunt. Qui igitur hæc permissione auget, & incurata relinquit, auget profectò uitium. Quòd si uel muneribus acceptis id faciat, non'ne uel mediocribus hominibus deterior apparuerit? Quotusquisque enim est, qui cum aliquem curandum ac tuendum susceperit, muneribus corruptus ipsum uitiari permittat? Num medicus legitimus quispiam illi, qui à cibis aut potibus aliquibus læderetur, donis, aut precibus adductus, permittere uolet ut noxiis licenter utatur, aut adiuuare ad usum? At certè sectione aut ustione opus habẽtem neglectũ atq; incuratũ relinquet accepta pecunia. Si igit' à Deo irrogata pœna, uitii Medicina est, qui potest humana medicina eẽ deterior? Verùm cũ & iis, qui iniuriam accipiunt, prouidere dicatur, ac eorum curã habere, inspiciamus quopacto his utatur aduocatus existens, & malis propter munera opitulans. Atqui quis'nam uel mediocris uir uellet pecunia ab hostium præfectis accepta prodere ipsis exercitum; aut quis pastor oues lupis? Quid pastor inquam, an pastorales canes parte aliqua raptarum ouium à lupis accepta, permittere ipsis uelint, ut reliquas diripiant? Non'ne igitur impius est sermo, qui Deo aliquod tribuit, quod ne canibus quidem facere conuenit? Deniq; Deum muneribus adduci ab iniustis, qui rationi consentaneum est? Nam à piis sæpe Deus munera accipit, non muneribus opus habẽs, sed q; q offerunt ut spiritaliter, ita & per externa ad ipsum conuersi sunt. Quippè si ea mente à malis munera offerrent, pœna ac medicina opus habentes, forte munera Deus uel ab his acciperet. Vt autem fiant peiores, quomodo rationi consentit? Nam licet nulla alia in re deliquissent, quia se muneribus inuertere Deum sperabant, id sat erat, ut eos à Dei familiaritate magis abiungeret.

Quomodo Deus munera, & preces accipiat. Cap. 70.

Quis igitur est sermo is, qui multus circũfertur, & undẽ nam initium duxit, qui asserit Deum muneribus, donariis, precationibus, beneficiis, supplicationibus deflecti, & delinquentibus parcere? Fortassis enim nõn temerè credit'. Num igitur simpliciter ita prolatus, nec dignus est qui ut sanctus admittatur. Si uerò legitimè pœniteat peccantes, hæc ad reuersionem ad Deum conferunt, quippe quæ pœnitentiæ argumenta sint, & non ex animo solùm subiectionis, sed uel corpore aduoluentium se genibus, supplicantiũ, & externa offerentium, in eaq; quæ Deo placent, sumptos facientium. Neque enim cum peccamus, auersatur, aut irascitur, aut seiungitur à nobis, nec pœnitentes respicit, aut admittit nobis placatus: (Humana sunt hæc, & lõgè ab undiq; immutabili diuina beatitudine aliena) Sed nos uitiati, per lapsum in id, quod est præter naturam, & diuinæ bonitati dissimiles facti, q; iniusti, profani, insipientes euaserimus, inde nos reuellimus, non quòd in omnia penetrantem eius prouidentiam fugere unquam ualeamus, sed uelut ægroti tunc propter nos ipsos medicinæ improbitate diuinæ iustitiæ aditum ad nos præbemus, ad eiusmodi prouidentiam & curam Dei paratos ac promptos nos præstantes. Vbi uerò quod naturæ nostræ est recuperarimus, & ipsi similes facti (similitudo autem Dei est, ut iusti & sancti cum prudentia fiamus) accedimus ad ipsum atque familiares reddimur. Et hanc nostram conuersionem ad ipm, ut eius ad nos, uocamus. Nobis.n.id accidit, qđ in illis uidemus, qui cum è saxo aliquo maritimo funem alligarint, quoniam ille attrahit, cum & ipsi & nauigium saxo accedant ob rei inscitiã non se ad saxum accedere, sed saxum ad ipsos sensim propinquare existimant. Pœnitẽtiæ porrò, supplicationes, preces, & reliqua, funi comparant', per ea enim auulsi cõuertuntur, quæ nõ uerbis, sed re fiũt si eis, quibus iniuriam fecerimus,

aut

aut conuicium dixerimus, aut quos utcũq; male acceperimus, obsequium præstemus, aut ipsis aut ipsorũ posteris, si iniustitiã oderimus, si iniusti conuersi cum iis, qui iustitiã amãt, uictitent, seipsos plectentes, donec labem omnem expurgarint. Hac uti continuè oportet, non per interualla fatiscere, sibiq; supplicium parare. Signum uerò ac opus ueræ pœnitẽtiæ est, non amplius in eadẽ errata delabi, nec in minora illis. Imitari.n. nautas est operæpretium, qui urgente in alteram partem naui, in contrariam transeunt. Veram quidem pœnitentiam ad perfectam expiationẽ sufficere, uel inde colligitur, q̃ & Deus in hunc purgationis finem spectet. Nam omnia, quæ nobis accidunt, punientia, & ultricia, tam hic, q̃ apud inferos, finem cum habẽt, ut ob sua infortunia mutetur animus, & uitium oderit, uitamq; præter naturam, libens uerò eligat atq; complectatur uirtutẽ. Quin scientiales sunt rõnalis animi pfectiones, siquis sibi pœnã irroget. Forte & citius is rectè facit, quia ex sua ipse uoluntate punitur. Nam dolore opus ac tristitia est illis, qui per luxum & uoluptatem deliquerunt. Quos enim legitimè pœnitet, acerbissimis cõscientiæ stimulis seipsos cruciãt, qui multò sunt corporalibus suppliciis grauiores, & magis penetrabiles, minusq; solatium admittunt. Hæc aduersus tertiã impietatẽ, quæ pessima ex tribus est, dicta sint. Satius.n. est nõ esse Deum, nec ꝓuidere, q̃, si fuerit, dum ꝓuidere uidet, insidiari iis, qbus prouidet. Id.n.est, male cẽ. At malumus nõ esse, q̃ malè esse. Cuius cã est q̃ emĩnẽtius sit Bonũ, q̃ ens & cẽ. Et entis primordiũ est ipm Bonũ. Quare & finis oĩum illud, & illius gratia oĩa. Nam & esse, tanquàm bonũ amamus. Quare quoties malè nobis sit, malumus non esse. At prolixior fortasse fui, q̃ proposito scopo conueniret, super his quæstionibus. Quoniam totius benè uiuendi rationis, ac perfectionis animi, principium & finis est, conuersio ad Deum, tum per rectas de ipso existimationes, quòd sit, & prouideat, & benè ac iustè uniuersa gubernet: Tum parendo ac cedendo libenter iis, quæ ab eo fiunt, ut quæ optimo efficiantur cõsilio. Nam licet suo cieatur animus motu, ac sui iuris sit, inseq; ipso primordia bonorum & malorum cõtineat, at à Deo procreatus est talis, ut seipsum moueat. Quare donec in sua caussa fixus est ac radices egit, & seruat, et suam retinet perfectionem, cum qua ipm Deus produxit. Quòd si seipsum auulserit, & quãtum in se est, eradicarit inde, arescit, & corrũpitur, turpis iam & debilis factus, donec iterũ respiciat ac reuertat, uniaturq; cum caussa, atq; ita suam recuperet perfectionem. Verùm legitimè cõuerti impossibile est, nisi tres hæ quæstiones & scientia & uita perspectæ atque examinatæ fuerint. Quis enim ad id, quod non est, tendere uelit: aut quod sit, sed nos negligat: aut quod & sit & curam habeat, sed ad malum ac perniciem nostram?

Quales se ad diuinationem adhibere, de quibus uatem consulere, quomodo diuinationibus uti oporteat. In quo simul & affectum erga Deos, & erga nos ipsos extitit. Cap. 32.

Cum ad diuinationem accedis, memento ignorare te, quod sit euenturum, atq; ideò uatem adire, ut ex eo id audias. Quale autem quidquid sit, si philosophus es, non ignoras. Si enim ex iis est, quæ in nobis non sunt, necessarium profectò est, neq; bonum id esse neq; malum. Tolle igitur abs te cum uatem adis, appetitum ac declinationem. Aliter enim tremens uatem adibis. Sed cum noris quicquid euenturũ sit, susq; deq; & nihil ad te, licebit quodcunq; id sit, eo bene uti, neq; te quisquam prohibebit. Fidens igitur Deos tanquã consultos adi. Mox ubi quid tibi consuluerint, memento quos in consilium acceperis, quibusq; sit obaudire, nisi parueris. De his aũt (ut & Socrates dictitabat) consulendus est uates, quorum omnis consideratio relationem ad exitum habet. Cuius cognoscẽdi occasio, neq; ex ratione nobis, neq; ex arte aliqua sit præbita. Quamobrem cum tantum periclitandum tibi fuerit cum amico, aut cum patria, ne cõsule an periclitaturus sis. Nam si tibi uates dixerit aduersa apparuiße exta, manifestum est aut mortem significari, aut corporis impedimentum, aut exilium. Sed dictitabit ratio, teq; confirmabit, ut cum amico & patria pericliteris. Maximo igitur uati, hoc est ipsi Pythio intende, qui eum de templo expulit, qui amico dum interficiebatur, opem non tulerit.

Ita enim scientialis cognitio parietur, si à caussa demonstratio proficiscatur. At audire è Deo, firmã quidẽ fidem facit, ut par est, non tamen rei sciam parit. Quòd si quis à Deo dignus habitus sit, q̃ caussas rei discat, & sciens euadat: Ea uerò est bonitatis forma, nõ uaticinii. Hæc.n. in rebus agendis, incertos humanæ menti euentus p̃dicere uidet. Quocirca reperti nõnulli sunt, qui de rerum natura, Deum sciscitati sint, sed pauci ii fuere, nec in philosophia principatum tenentes, sed qui ex fide potius, q̃ ex scientia probationem habere soliti essent, cum Deus uelit, ut apparet, aĩum per se moueri, ut sua sponte uerũ uidere possit. Agedùm uel Epictetus, & Socrates ea interrogãda uetare uidentur, quæ sua sponte potest animus cognoscere. Itaq; eum non probat, qui interrogat, an cum amico periclitandũ sit, an cum patria. Recta enim ratio præscribit periclitandum esse. Quid igitur percontari ea opus est, in quibus quid agendum sit constat? Apparet profectò Deum illos, qui quondam scitati sunt, an dedendus esse supplex, ualdè dãnasse, & culpasse. Ea enim quæ recta ratio facienda esse præcipit, facere oportet, non interrogare, licet molestũ quid accidat nobis circa corpus, aut externa. Nostrum enim bonum bono corporis & externorum anteponendum est, cum hæc quoq; ad nos referantur. Verùm postq̃ demonstrauit, non esse de eis rebus uatem adeundum, cum, qualiacũq; sacra fuerint, periclitandum planè sit, cõprobat ac corroborat hoc ex eo, quòd qui amico dum interimebatur opem non tulerat, à Deo sit è templo eiectus. Nam cum duo forte Delphos proficiscerentur, in p̃dones inciderunt, & cum eorum alter interficeretur, alter aut quòd terga dedisset, aut quòd intrepidè non defendisset, ad oraculum peruenit, & Deus ipsum expulit, his uerbis,

Prædonum immanis p̃meret cum turba sodalem,
Liquisti miserum, procul hinc procul esto profane.

Perspicuum tamen est, licet uoluisset, amicum prorsum non fuisse defensurum: Attamẽ periclitandũ fuerat, & simul etiã moriẽdũ, si id auxiliatem ferre necesse fuisset. Ob igitur propositum pollutum eum esse Deus iudicauit, ut qui ob nimium sui amorẽ amicum prodiderit. Velut in alio quoq; cum infortuniũ accidisset, propositum tamẽ Deus probauit. Etenim cum alii duo in latrones forte delapsi essent, altero iam à latronibus capto, alter cũ telum in latronẽ cõiecisset, & ab illo ictus decrrasset, amicũ percussit atq; interemit. Vbi uerò ad oraculum uenisset, ingredi tanquàm amici cæde pollutus non audebat. Et Deus eum in hæc uerba allocutus est,

Interimis socium dum uis defendere, non es
Cæde hac pollutus, sed purior inde redisti.

Si itaq; cæde amici non pollutus, sed uel purior, q̃ prius propter propositum factus est, constat, non in actione, sed in p̃posito hominum cõsistere, ut benè aut malè agatur. Illud tamen interim animaduertendũ est, hæc quæ proximè dicta sunt, ex quo annotaui, & quæ deinceps dicenda sunt omnia, medio habitui eius congruere, qui aliquatenus iam profecit, atq; in philosophando uersatur. Nam hic ea uerba sunt, Si philosophus es, quæ sequentibus multis in locis aliquid non dissimile significant.

Officia erga nos ipsos, ac de ijs primò quæ ad morum constantiam faciunt, quæ'ue eam impediunt, & de sermone in primis ac silentio. Cap. 38.

Statue tibi ipsi formulam quandam ac regulam, quam deinceps serues, & cum tecum ipse es, et cum in homines incidis. Silentium sit plurimum. Loquere necessaria, & paucis, & rarò, aut quandoq; cum te ad aliquid dicendum tempus uocat, dic quidem, sed non de quauis re. Non de gladiatorum pugna, non de cursu equorum, non de athletis, non de epulis, uel poculis singillatim. Maximè uerò omnium non de hominibus uituperans aut laudans, aut cæteris cõferens. Si igitur possis demuta eorum sermones, qui tecum sint, in id quod deceat. Quòd si inter extraneos te deprehensum uideas, tace.

Aut silendum, aut de rebus grauibus loquendum, non tamen ubiuis. Cap. 21.

Hinc cum officia erga seipsum eius, qui aliquãtum profectum fecit, & iam philosopha-

monibus, qui de ipsis hītur: Peculiare qddā malū iunctū est iudicatoriis hoīum sermonibus, cōtēptus & supbia. Qui.n. hoīum uitā iudicat, tanq̄ superās illos iudiciū facit. Inuidiā enim maiorā facit error circa iudiciū uitæ hoīum, quā qd in iocātibus decipit. Nō solū uerò, inquit, hæc dicēda non sunt, sed nec audienda. Nā & per auditū imaginationes, & irrationales audientium appetitus mouētur. Prætereà & qui ea dicūt, ubi uiri alicuius magnæ existimationis præsentia non destiterint, impudētiores fiunt, & audaciam inuerecundam, atq; infrenem in seipsis alunt. Quare ait, si modò possis post eiusmodi hominum, quibus cum sis, sermones, ad grauiores transfer: Quòd si inter eos homines deprehensus sis, qui alio uitæ genere corrupto educati atq; assueti sint, quos extraneos ipse appellauit, tace, inquit, purgans teipsum cum silentio ad respiciendum ad temet.

De risu. Cap. 39.

Risus neq; multus, neq; ob multa, neq; solutus esto.

Non multum, nec quauis res ridendum. Cap. 73.

Postquàm cōmuniter præcepit philosophanti, ut eundem morum tenorem seruaret, ad quem maximè silentium confert, nimiam lætitiæ effusionem, quæ per risum fit, cohibet ac refrenat. Et per hanc fortasse oppositum ipsi doloris excessum indicat. Nam risus est animi nimiæ supereffusio lætitiæ. Quocirca gignitur spiritu itumescente, & sonum bullientis lebetis feruori assimilem reddente. Euertit igitur sedatam & placidā animi & corporis affectionem, uelut luctus, atque eiulatus ex contrariis eundem modestiæ tenorem labefactat. Propterea itaq; cauendum à risu, & præsertim ob multa. Et si risus interim occasio uenerit, ne risu penitus abstinētes, & mores nostros asperiores reddamus, & iis quibus cum uersamur, duri, & illepidi uideamur: Pauca certè sunt risu digna. Qui itaq; ob multa ridet, se facilè ob nimiā lætitiā leuiter extolli īdicat. Quare nec id crebrò facere oportet, nec diutius risum cōtinuare, is enim est multus. Nec effusum, nec planè effrenē esse risum (id.n. nunc puto significare, solutum risum) sed potius leuiter subridere, adeò ut labris exigua quædā immutatio appareat.

De iureiurando. Cap. 40.

Iusiurandum refuge, si possis: Si minus, cum licet.

Per Rarò, & obrem magni emolumenti iurandum. Cap. 74.

Et in hac enumeratione officiorum quæ ad seipsum spectant, postquā magnos ac subitos impetus eiusdem morū tenoris coërcuit, à Dei ueneratione exorditur. Iusiurādum.n. testem Deum uocat, & sequestrē, ac fideiussorē in iis, quæ ait, ꝑtendit. In humanis itaque rebus, hoc est paruis ac uilibus, Deum adducere, contemptum ipsius quendam subindicat. Quocirca iusiurādum abnuere oportet, si possimus, penitus, laboremq; & iacturam quam possis iuriiurando anteponere: Quòd si interdum necessarium sit, aut amicum iureiurando à periculo liberare, aut pro parentibus, aut patria, fidem ꝓbere, omnia potius pati melius est, quàm eam confessionem, quæ Deo sequestre facta est, transgredi.

Aduersus cupiditatem, ac primò de conuiuijs. Cap. 41.

Conuiuia cum extraneis aut cum vulgaribus respue. Quòd siquando tempus incidat, intentum habe animum, ne in vulgarem statum defluas. Scias enim necessarium esse, qui cum inquinato conflictetur, & ipsum inquinari, licet ipse purus ac syncerus sit.

Non eundum ad vulgarium conuiuia: aut si adieris: cauendum ne labaris. Cap. 75.

Postquàm licentiam circa Deum cohibuit, nunc uariam ac multiplicem refrenat cupiditatem, à maxime necessaria, quæ circa cibos uersatur, orsus, & per alias quæ ad corpus pertinent, ad uenerem perueniēs. Nam reliquorum hominum conuiuia in epulas, & potus, & alia iucunda conteruntur: quæ in transitu tractanda sunt. Sed colloquiorum reuera cōmunicationes sunt, & conuersationes, ut declarant ea, quæ à Platone, Xenophonte, Plutarcho, & aliis, literarum memoriæ tradita conuiuia sunt. At comessationes multitudinis,

quis iis assuetus fuerit, alia fastidire oĩa. Non dicã eum, qui his addictus est, planè felicitatem in his ponere eẽ necessariũ, suiq; prſus obuiuisci: Et si his excidat (multæ uerò sunt huius rei occasiones) fleat necesse est, atq; eiuletur, tuncq; se infelicem putet. Atqui multò infeliciores tunc eramus, cum in his deliciabamur. Eadem ratione etiam multitudine seruorum utendum est, tum ad usum spectando, tum aliam opulentiam, ut & alantur cõmodè, & opus faciant, cum sedulò, tum etiam illaboriosè. Eos enim q in uiis præeũt, ac deducunt multi, idq; opus habẽt, nescit dominus custodes sui esse acres, adeò ut ne abire quidem usquàm possit, nec clàm cum aliquo loqui, nec facere quicquam, quod sibi placeat, seruis secretum. Sunt prætereà cæteris quoque hominibus molesti. Res enim in foro uenales, partim furãtur, partim rapiunt. Verberant, & conuicia dicunt petulãter, ob conseruorũ auxilium. His itaq; rebus & segnitie prorsus corrupti, inimici sunt pleriq; oẽs atq; hostes dominorum: qui ut hos nutriant deliciãtes atq; cultus corporis nimis studiosos, quot labores ferre coguntur, quàm peruigilare, quot adulari, quot seruire, & quod malorum est caput, uita secundum naturam hominibus conueniente excidere? At is quidem uiuendi modus, qui longè est ab Epicteti institutione alienus, dignam se pœnam det. Vir autem, qui iam philosophatur, & famulitio ad usum necessarii utetur mediocri. Quod quidẽ paucũ est, tum propter uitæ frugalitatem, tum quia suis ipse manibus pleraq; agit, ut seruo tum indigeat, aut ægrorans, aut cum usus socium postulat, aut ob occupationẽ in studiis honestioribus. Velut admirabilis hic Epictetus, qui cum solus diu uixisset, serò mulierem nutricem pueri conduxit, quem cum amicus eius quidam ob egestatem expositurus esset, ipse sumpsit atq; educauit. Vbi uerò quodlibet eorum, quæ necessaria sunt, nominasset, cõmuniter intulit, in omnibus superuacuum auferendum, omni superuacuo in species duas diducto, in luxum, & in gloriam, quæ apud externos est. Nam hæc duo in omnibus antè dictis reperiuntur, quorum gratia necessarium usum transilimus, nec quicquam aliud. Tantùm porrò Diuinis illis uiris curæ erat superflua euertere, ut Diogenes, ut aiũt, qui situlam semper circũferre in pera solebat, qua haustam aquam bibebat, cum fortè flumen traiiciens quẽdam suis manibus aquam excipere atque bibere, conspicatus esset, situlam in flumẽ proiecit, dicens se ea nõ amplius habere opus, cum manus usui sufficerent.

De re uenerea. Cap. 43.

Circa rem veneream quantum in nobis fit, ante nuptias purè agendum est. Quòd si cogimur, quæ tñ sunt legitima, assumenda. Ne sis tñ molestus utẽtibus, neq; redargutor, ne'ue sæpius obijce te non uti.

Aduersus iracundiam, & quales nos erga detractores præbeamus. Cap. 44.

Siquis ad te deferat, ille de te malè dicit, ne excusa, quæ dicantur: sed responde, Ignorat ille & alia, quæ mihi adsunt mala: Alioquin non sola hæc diceret.

Contra uenerem & iracundiam. Cap. 11.

Omnis corporalis uoluptatis continentia rationalẽ animum corroborat, & experimento fiduciam præbet, posse eum affectus à ratione alienos subiugare. At irrationales appetitus refrenat duobus modis, iam segnitie labantes, & rõni cedere assuetos. Continentia uerò à uoluptate rei uenereæ, quãto aliis maior est, tantò est rationali animo utilior ac pciosior illa. Porrò ipsa ratio non tantùm à bona disciplina, & optimis legibus instituitur ac gubernatur. Quinetiam cupiditatum motus illi uehementes non modò refrenari ui possunt, sed placidè ac blandè subiici, ut ex cibi appetitu ac rei uenereæ colligitur. Qui licet naturales sint ac uiolenti, tamen si bene assuefacti sint, libenter quiescunt. Nam qui inediam ferre soliti sunt, non perturbantur cupiditatibus, sed grauantur, si præter ieiunii consuetudinem cibis infarciantur. Appetitus item ad uenerem in athletis, q̃q̃ carnis pleni ac præpingues sint, ætatisq; uigore pruriant, tamen quiescit, ipsis oleaginæ coronæ, quæ in Olympiis datur, amore Veneri renunciare assuetis. Præstereà consuetudine & lege concubitum cum sorore aut fratre uetãtibus, scimus tanquã mortuam esse naturam, adeò sunt penitus immo-

biles appetitus ac sedati: Nisi quos execrandus furor inuasit. Vt uerò ante nuptias puri simus tum utile, tum alioquin iustum, ut castitatis fidem, qui uir ab uxore poscit, uxor quoque à uiro recipiat. Quòd si, inquit, necesse est ante nuptias, certè quæ sunt legitima, assumenda. Quod enim contra legem est, & impium planè est. Neq; enim temerè lex id circũscripsisset. Tum magnæ incontinentiæ argumẽtum est. Ad hæc assuefacit & seipsum & q ipm imitant, ut uel alias leges contẽnant. Abstinens, inquit, talibus, ne sis utentibus molestus, nec redargutor, nec sæpe te nõ uti, obiice. Nã exprobratiões hæ molestæ sunt: qm̃ ne Magistrorum quidẽ reprehẽsiones æquo animo ferimus. Vt uerò ægrè feramus in cã est, quòd donec reprehẽsi fuerimus, latere nos putamus, & icciro ne errasse quidã uidemur. Quod fit propterea quòd externorum existimatione ad nostrum iudicium utimur, & non nobis ipsis & præstantioribus, hoc est ipsa ueritate. Quòd si qui reprehendit non nostrum modò erratum detegat, sed seipsum sine errore esse prædicãs, tanq̃ in certamine uictorem se in nos pronunciet, tunc cum uel collatione uicti esse uideamur, multò magis grauatè patimur, adiecto ad pondus, quòd se ipse reprehensor laudet. Grauius enim est, quia aduersarius est iudex, & ipse reprehendit, & sui collationem affert. Lædit hæc reprehensio extrà eius animum trahens, & nec ut abstineat iis rebus, nec ut boni gratia reprehendat, facit, sed ut alios reprehendens, ipse laudem cõsequatur ac gloriam. Cumq; ita ei, qui reprehenditur, appareat, grauior reprehensio redditur, quia facilè peccandi excusationem comparatione sibi parat. Promptum enim est dicere, at ego non sum philosophus, & statim ueniã sibi dare. Id enim ad iracũdiam tendere uidetur. Nam iracũdia in eiusmodi pollicitationibus mouetur, & ambitionem ac inanem gloriam culpat, qui & ipsi iracũdiæ motus existũt. At quam ob caussam præcipit ne nos excusemus, cur ut aliis uitiis nos obnoxios esse dicamus? Num enim imodesta uidebitur hæc modestia? An consentanea proposito scopo uel hæc sunt, uolenti animum à rebus externis auocare, & ad se reuocare, ut sibi uiuat, non externis? Qui uerò se excusat, & sua conscientia & iudicio omnia cognoscentis Dei contentus non est, sese hominibus placere cupere ostendit. Quare si illis uel mentiẽs persuaserit, se non peccare, contentus est, tanq̃ nihil peccans, sat habens persuasisse iudicibus, quos sibi elegit. Quòd si externis contẽptis, sui ipse iudex incorruptus fiat, conuincit peccatũ, ipsius auctoris testimonio. Suiipsius uerò accusatio, tanq̃ alia mala habeat, omnes ambitionis radices auellit atque rescindit. Affectus enim is grauis est ac uehemens, insitus animo, atq; plantatus, & circa seipsum uersans. Nam uidemur gloriam contemnere, cum ipsius affectus gloriæ cupidi simus. Et latet, cum affectus turpis aĩo sit, uideri uelle ob bona gloriam affectare. Nec cogitamus, cum affectum inquinare ipsum bonum, nec permittere ut bonum sit, nec p̃cipue expetendum, quando non sui gratia ipsum eligimus, sed ob gloriã, quæ inde sequat. Nam & bono nr̃o scopus p̃ponit ipsa gloria. Aduersus hanc autem necessariò forte assumpta ipsa iustitia, ut per ipsum gloriam consequamur. Videtur porrò iis, qui alios affectus habent, perutile. Multos enim ac uehementes affectus uincimus propter ambitionem, & laboriosiora plerũq; ob ipsam capessimus, quæ uel magnis suppliciis nihilò sunt minora. Quare & postremus omniũ affectuum amictus dicitur ipsa Ambitio. Quoniam aliis ob ipsam depositis, ea animo magis adhæresit. Cæterùm reuera ne illis quidem affectibus liberat ambitio & gloriæ cupiditas, sed eorum apertas actiones cohibet modò. Qui enim ob ipsam re non scortantur, imaginationibus turpia cogitare non cessant. Quò fit, tum ut alios quidem affectus ipsa nõ sedet, tum ut ipsa imineat asperius ob aliorum affectuum actionis refrenationem. Videtur itaq; iuueni quidem eẽ initio utilis, ut iuuentutis affectus cohibeat. Quòd si iam ætate grandi maneat, magna pernicies. neque enim animum ad se ipsum respicere sinit, cum externã gloriam inhiet, nec bonum ullum præcipuè unquam eligere, sed propter adiũctam gloriam, hoc est ut nunq̃ bonum quà bonum capessant. Porro aliud quid hi mores habent ridiculum. Despicientes enim

prorsus ac contēnentes hominum multitudinem, & nullius existimationis esse putantes, tamen tanquàm magni aliqui essent, ab eorum opinione pendemus, tanquā à pilo. Cum eiusmodi igitur ambitio sit, nulla alia re excindi ac resecari potest, nisi morum modestia, ac suorum errorum prædicatione. Animaduertendū tamen ne id etiam ambitiosè faciamus. Quandoquidem si legitimè ac purè fiat, nec spes ulla amplius gloriæ relinquatur, & si ulla erat, necessitas imponatur, ut nulli hominum, quæ in nobis bona sunt, pateant, & uitia omnibus constent, ambitio planè rescindetur, nec amplius ob gloriæ cupiditatem ea faciemus, quæ facimus, cum iam ipsam haud amplius speremus.

De spectaculorum cupiditate. *Cap. 45.*

Ad theatra sæpe accedere, necessarium non est. Quòd siquando tempus incidat, caue ne cuiquam magis studere uidearis, quàm tibi. Velis quæ fiunt, ita fieri, ut fiunt: eum tantùmodò vincere, qui uictor est. Clamare autem, aut arridere alicui, aut multùm moueri, prorsus abstine. Egressus spectaculo, multa de ijs, quæ facta sunt, ne disputa: quando ad te corrigendum non faciunt. Ex his enim te spectaculum admiratum esse apparet.

Quomodo spectanda, quæ in theatro aguntur. *Cap. 78.*

Non ciborum aut concubitus modò irrationales appetitus oriunturr, sed uel spectaculorum & auditoriorum. Quo igitur animo erga hæc futuri simus, docet, dicens, Ad theatra sæpe accedere, necessarium non est, uel potius, necessarium est non sæpe accedere. Theatralis enim uita eorum est, qui in theatris occupati sunt. Quòd siquando tempus incidat, aut diei festi lege, qui his ludis celebrēt: aut ut alios imiteri uidearis: (graues enim ac molesti ipsis uidentur, qui usitatam uiuendi rationem subterfugere uidentur) aut demùm, ut periculum de nobis faciamus, quomō superiore tēpore erga hæc animati eramus, quo modo in præsentia: aut si ob alium quendam usum, qui rationem habeat, tempus incidat ad theatrum accedere: Intentum tunc quoque animum habere oportet, ut apud nos habitemus, nec rebus, quæ illic fiunt, nos dedamus: Sed uictorem uincere uelimus: & quæ fiunt, ita fieri, ut fiunt: hoc est ne appetitum aut declinationem ad ea feramus, cum res externæ sint. Ita tamen ut status non sit grauis adeò, ut assistētibus molestus sit, sed constans cum quadam hilaritate, ut nō acclamemus, aut moueamur ob uictores, nec profusè ob ea quæ ridiculè dicantur, rideamus: Sed alios cum iudicio laudemus, alios leui risu approbemus. Et egressus, inquit, spectaculo, ne multa de iis, quæ facta fuerint, disputa, quando nihil ad te corrigendum faciunt, ut in omnibus dictis sermonibus. Non enim instituūt quæ illic agunt, ut existimatione aliqua digna sint. Aut igitur ita intelligendū est illud, q̄cunq; ad nos corrigendos non faciunt, ut in omnibus prædictis sermonibus, quos de iis, quæ in spectaculo acta sunt, habemus. Aut parte aliqua dictorum resecata, forta illa consuluerit, solùm, quæ ad nostram correctionem faciant. Hæc autem erunt, quæ reprehendunt non rectè in spectaculum conuersas motiones nostras. Porro multùm ac uerbosè de iis, quæ in spectaculo acta sunt, disserere, argumētum euidens est, putare nos spectaculum magnum quid, & admiratione dignum esse, quod citra popularem affectum haud temerè fieri solet.

De auscultationum cupiditate. *Cap. 46.*

Ad recitantes ne accede, neque his uel rarò intersis. Quòd si intersis, grauitatem constantiamq; ita serua, ut molestia uaces.

Quo pacto audiendi sunt, qui recitant. *Cap. 79.*

Post spectacula de auscultationibus agit, quas qui rhetoricæ aut poëticæ dant operam, ad suæ eloquentiæ ostentationem exercēt: Modò aliquem potentum laudantes, modò urbium instituta recensentes, aut loca uerborum ornatu describentes, aut iudiciales controuersias declamantes, aut quid eiusmodi. Ad has igitur, inquit, quæ ostentationis & externæ gloriolæ caussa sunt, ne facilè accedas. Et nō sine ratione aditum permittit, aut propter recitantis amicitiam, aut propter eius, qui laudatur potentiam, aut demùm ut alios imi-

tari uidearis. Sæpè enim id faciendum, ut inuidos placent ii, qui à populari usu recedere uolunt. Quòd si, inquit, intersis recitationi, grauitatem & constantiam sic serua, ut non sis molestus: Grauitatem, laudando in tempore & mediocriter: Constantiam, si non indecorè mouearis, nec acclames, nec effutias quid intempestiuè, sed statum eundem & gestu & corpore conserues. Non eris prætereà molestus, si nec cogitabundus ac tristis appareas, tanquam aliud cogites: nec taceas plus quàm opus est, sed modicè dicta laudes, nec seuerè ipsa ac morosè iudices, nec reprehendas, tanquã non uerè, aut non numerosè, aut nõ eloquẽter dicta. Omni porrò uacat molestia ac placet, si iure in his quæ benè dicit, gratulari dicenti uidearis: Illi qui laudatur, in quibus uerè ac iustè collaudatur.

De congressu cum potentioribus. Cap. 47.

Congressurus cum aliquo, & eorum præsertim qui potentiores uidentur, præpone tibi, quid in hoc fecisset Socrates, aut Zeno, neq; dubitabis, quo te pacto gerere oporteat.

Exemplo Socratis & Zenonis congrediendum cum potentibus. Cap. 80.

Qui ad se conuersi sunt, sibiq; uiuere uolunt, insolentes propemodùm sunt congressus ad potentes. Quocirca exemplum proposuit ipsis, Socratem & Zenonem, ad quos respicientes, modum congressus nobis conuenientem inueniemus. Cogitandum itaq; quomodo Socrates & Zeno cum iis congrediebantur: quòd non fictè, nõ simulatè, sed in sua uita prudentem præseferebant magnanimitatem, ab omni fastu, omniq; arrogantia purã, nec potentiæ magnitudine deterriti, nec superbè ipsos contẽnentes. Eorũdem proinde morũ est, non adulari, non contumeliosè reprehendere, sed ob ea, quæ bene facta sunt, mediocriter laudare. Et inde orationem inchoare. Velut Medici amara medicamenta melle illinere solent. Et tunc eorum, quæ non benè acta sunt, non acerbum atq; asperum censorem apparere, sed correctorem & curatorẽ, & eius uicem dolere, si pulchræ actiones rationibus plerunq; fortuna interturbantur. Atq; planè, ut puto, maximè omnium ostenderunt Socrates & Plato, quot fugienda habeãt principatus, & quæ hominũ excellẽtiæ uidẽtur: Quidue in ipsis eligendum sit, Munificẽtiam uidelicet. Quare qui hanc contemnunt, mala quidem, quæ in ea re sunt, patiuntur, bonis carent. Constat porrò exemplar sibi Socratem ac Zenonem proponere oportere, modum uerò suæ uitæ seruare, & quæ illi cõgrua sunt suapte natura adhibere. Perquàm enim stultũ est, ut quis uitã adhuc proficientem habẽs, & Epicteti institutione indigẽtem, Socratis aut Zenonis rationibus utatur. Non'ne is ridiculus planè apparuerit? Nam & Antigonus, qui post Alexandrum Syriæ rex fuit, dixisse fertur, nunquàm se animi angore ac solicitudine uersari, nisi quando cum Zenone colloqueretur. Cum tamẽ multis aliis cum philosophis quotidie uersaretur. Hinc porrò Epictetus officia, quæ ad congressus pertinent, tradit, à potentibus, quiq; principatum gerunt exorsus.

Quomodo præparare nos debeamus potentiorem adituri. Cap. 48.

Cum aditurus quempiam eorum es, qui magna possunt, præpone tibi ipsi fore ut non admittaris intrò ad eum, ut excludaris, ut tibi fores non pateant, ut te ille negligat. Et si cũ his adire contingat, fer quæ fiunt. Neq; tu tecum dicas unquam, talia non merebar. Vulgare enim est, quæ extrinsecus sunt, calũniari.

Præmeditanda incõmoda iis, qui potentiores adeunt, ne turbentur. Cap. 81.

Idem propemodùm & prius in illo capite dicebatur, cuius initium est, Cum rem quempiam aggressurus es, memento, & reliqua. Nisi quòd illic in lotione rationem facit, hic in maiore exemplo, in aditu uidelicet ad potentiores: Atq; ibi in hoc rationẽ conclusit, ut contemneremus, quæ eueniunt, ut nostrũ propositum secundum naturam conseruaremus: Hic, ut securè præmeditemur, nec molliter, sed ut res habet, futuras molestias ac difficultates supponamus. Nam si uoluerimus potentiorem adire, si prædictæ molestiæ eueniãt, pœnitet nos plerunq; iisq; nos esse indignos dicimus, aut quòd initio non bene deliberauimus, aut quòd plus iusto iis, quæ eueniunt, perturbamur. Vulgare utrunq; ac plebeium, nec eius, qui bene externis utatur, nec ut natura rerũ fert, sed magna ea esse existimet. Cum

autem

autem prædixiſſet de congreſſu potentum, ſed blandius accipientium, quo cum ipſis pacto nos gerere oporteat, iuxta Socraticam uidelicet, aut Zenoniam formã: nunc de iis, qui aſperius occurrunt, dicere proponit, quomodo uel ad horum congreſſum parari opus ſit: Niſi neceſſitas aliqua ingruat, omittendum: Si neceſſe ſit, & uiſum fuerit cum fugiendis ipſum eligere, feréda ſunt, quæ occurrunt patienter ac fortiter.

De congreſſibus cum plurimis. Cap. 49.

In congreſſibus abſit, ut de tuis aut operibus aut periculis nimium atq; immodicè memineris. Non.n. quemadmodum tibi de tuis periculis meminiſſe, ita & alijs, quæ tibi acciderint, audire eſt iucundum. Abſit etiam ut riſum moueas, eſt enim res vulgaris, & neſcio quomodo ducit ad uilitatem, & hæc una venerationem, qua te proſequantur qui adſint, remittere poteſt: nonnunquam uerò & in ſermonis obſcœnitatem trahit. Quòd ſiquando incidat, tum ſi res & tempus fert, obſcœnitate utentem increpa. Sin minus, at ſaltem taciturnitate, & rubore, oſtende eum te ſermonem ferre iniquo animo.

Inter multos, non loquendum de ſuis rebus, nec mouendum riſum. Cap. 81.

Poſt congreſſum cum potentioribus, nunc de congreſſu cum multitudine, & quõ ſine moleſtia atq; contẽptu cũ iis congrediamur, edocet, ut utile quoad eius fieri põt, ipſis ſit. Non cõmemorare enim opa aut pericula nimium atq; imodicè in cã eſt, tum ut oĩs auferatur moleſtia (grauatè enim eos homines audiunt, qui ſe laudant, tãquã ipſi per hæc ab illis accuſentur, ac ignominia afficiantur ob collationem) tum animi ambitio & gloriolæ captatio reprimatur, magnanimitasq; oſtendatur. Cum prius dixiſſet, non oportere ob multa ridere, nec multum eſſe riſum, nec ſolutum, eãm etiam adduxit inquiens, Mos enim ad uilitatem ducit neſcio quo modo. Ea enim dicere, ut riſum uulgaribus ac plebeiis moueas, indicio eſt ea illis placere, & uulgaris habitus peculiaria eẽ. Aequè igitur aut magis, quàm illi, plebeium ac uulgarem eſſe putant, qui riſum mouet, ita ut ſi prius eũ ueneratione proſequebantur, poteſt id unum & uenerationem eorum, qui adſint remittere. Nonnulli quidem etiã qui prudentes uidentur, riſum proptereà mouẽt, ut lepidi ac uenuſti habeantur. At obſcœnitate quidẽ non uſurũ, qui iam aliquos ꝓfectus fecerit, patet, ſed ne alios quidẽ ferrẽ cõſulit. Quòd ſi tẽpus & res ferat, hoc eſt, ſi adoleſcens fuerit, qui ad id ductus ſit, non impudens, non opibus aut dignitate inflatus, uel increpabit, inquit. Neq; enim illi, qui obſcœna dicit, neq; aſſiſtentibus moleſtus uidebitur. Si uerò maior natu fuerit, moroſus, diuitiis elatus aut dignitate, increpare graue eſt. Præterea nõ ſolũ nihil proficies, & inimicus atq; inuiſus ipſi euades, ſed ridicula audacia fuerit. Quid igitur tunc agendum? Taciturnitate id te ægrè ferre ſignifica. Atque uide, quàm bene decorum ſeruarit, ex diſcrimine metitus, ſi de gladiatorum pugna, de equorũ curſu, aut de epulis, aut poculis ſermo ſit, aut de hominibus in laudem aut uituperationem, ſi fieri poſſit, inquit, muta ſermones. Hic uerò, ſi tempeſtiuum ſit uel increpare iubet. Atq; ibi, ſi nequeas mutare, tace inquit, hic rubore te ægrè ferre oſtende.

Quomodo reſiſtendum uoluptati. Cap. 50.

Cum uoluptatis cuiuſpiam imaginationem capis, quemadmodũ in cæteris ſerua te ipſum ne ab ea corripiaris: Sed excipiat te res ipſa, atq; aliquod tute ſpatium cape. Tum utrũq; tempus animo uolua: Et quo uoluptate afficieris, & quo iam potitus pœnitentia afficieris: Teq; ipſum tute increpabis. His verò oppone, quantopere ſi abſtinueris, gaudebis. Teq; ipſum tute laudabis. Quòd ſi res poſtulare uidetur, ut rem aggrediaris, caue ne ſuis te blandimentis atq; illecebris ſuperet. Tum oppone, quàm melius ſit, huius certaminis uictoriam ſibi conſcire.

Collatione incomodorum, moderandum uoluptati. Cap. 83.

Corporis uoluptas animo maximopere obeſt. Quælibet enim ceu clauus aium transfigit. Atq; idcirco eam Deus fecit non diuturnã. Nam ex cibis & potibus eatenus uoluptas percipitur, dum adhuc in ore eſt, ubi deglutitũ eſt, prorſus perit. In uenere item illo duntaxat coitus momẽto, uoluptatis ſenſus percipitur, cum præteriit, perinde ac nunq̃ fuiſſet,

sentitur. Atq; in sentiente uoluptatem esse, apertum est. Quippe cum quod non sentit, ne delectetur quidem. Quinetiam oblectamenta circa res externas, ut uestem, cultum corporis, pecunias, possessiones, ipsa quoq; breuia sunt. Oblectati enim harum rerum possessione, ubi assueti fuerimus ipsis, nullam amplius uoluptatem capimus: Si auferantur, dolor excipit multò quam uoluptas permanentior. Ita igitur uoluptas cum breuissimè durarit, & præsertim corporalis, abit, damnum suum animo undiquaque relinquens, plerũque autẽ & corpori, cum imodicus usus fuerit. Voluptatis autem cõtinentia, durabilem corpori atq; animo utilitatem præstat, & uoluptatis aliam speciem, quæ cum ipsa natura coniuncta est, innoxia & illæsa. His itaque hoc pacto præsumptis, quid Epictetus dicat, inspiciamus. Cum, inquit, uoluptatis alicuius, imaginationem ceperis, ut in aliis, uelut opũ, potentiæ, alterius'ue rei externæ, serua te ipse statim, ne te ad rem ipsam corripiat imaginatio, sed hoc parũper moretur: Atq; aliquo tibi sumpto spatio ob hãc animaduersionẽ, tẽpora tecum cogita, tum id, quo uoluptas capitur, quod momentaneũ est, tum id, quod sequitur, iacturæ ac pœnitentiæ plenum, in quo te ipsum uictum accusas. Atq; his oppone tempus illud, quo cum continentiam seruaris, utilitatem & syncerani diutius percipis uoluptatem, te ipsum laudans, ac probans. Si enim huius uoluptatis collationem purè feceris, facilè sedabitur appetitus, subiectionis actionis dedecus ueritus. Quòd si hoc iterum atq; iterũ feceris, non amplius se neglectũ ægresceret, aut molestus erit. Cæterùm si post opus statim cessat uoluptas, nec ulla re alia potius à nõ potito distat, q̃ imaginatione, nullam magni faciẽdam uoluptatem habet, queadmodũ earum, quæ in somnis apparuerũt, uoluptatum memoria indicat, quæ obscura quædã uestigia retinet. Verùm quoniam interdum nõnullas uoluptates uel ex recta ratione capimus, ut in filiorum susceptione, aut balneo post febrim: Cum, inquit, tẽpus fuerit, huiusmodi rem aggredi, caue ne te illecebræ eius irretiant, ita ut à te discedens totum te uoluptati dedas, sed illo tempore confer, quãtò sit pulchrius, uincere uoluptatem, quã ab ea uinci. Nam tantò est pulchrius, quanto irrationalibus imperare affectibus q̃ seruire præclarius est, & hominem potius esse, q̃ feram.

A gendum bonum propter seipsum reliquis neglectus, ac primo de instituto. Cap. 51.

Cum iudicaris faciendam tibi rem, idq; facias, ne da operam quominus te facientem alij videant, etiam si aliud quippiam ea de re multi sint opinaturi. Si enim non rectè facis, ipsum opus fugiendum est: Si rectè, ne metue increpaturos non rectè. Vt enim hoc, aut dies aut nox est, aduersus disiunctum magnam habet dignitatem, aduersus autem coniugatum indignitatẽ: Sic & maiorẽ partẽ eligere, magnã erga corpus dignitatẽ habet: ad seruandã aũt, quã in conuiuio dignitatem oportet, indignitatem habet. Siquando cum aliquo conuiuaris, memento ne ad eorum, quæ apposita sunt, dignitatẽ aduersus corpus aspicias: Sed aduersus quoq; animum, qualem decet conuiuam, te serua.

Non curandum quid sentiat uulgus, cum quid honesti aggredimur. Cap. 84.

Maximè hoc in capite enititur Epictetus, ut bonum ipsum sui gratia eligatur, ut & reuera bonum sit, non ex multitudinis opione. Qui.n.ppeam quippiã aggredit, hanc bonum esse, non illud statuit. Quocirca si rectè deliberauit quippiam non agendum, fugienda est actio, ut non bona. Quòd si ubi rectè iudicarit, agit, non metuendum est ne conspiciamur agere ob non rectè rem increpãtes. Nam fit ut uero bono (hoc enim est, quod rectè bonum iudicatur) non bonum sed malum uelut falsum anteponamus. Ea enim est multitudinis de re, quæ agitur, non recta opinio. Præterea contingit, ut id, quod à recta ratione bonum iudicatum est, malum existimet, si ipsum fugiat. Quod enim fugiendum est, malum habetur. Adde aliud incõmodum. Nam is, qui & à se & à rebus auocatur, in multitudinis opiniones deuehatur necesse est, ibiq; & bonum ipsum & malum ponat, uerum item & falsum. ut hoc, aut dies aut nox est, ad disiunctum quidem magnam dignitatem habet, ad complexum uerò indignitatem hypotheticorum rõcinationum, quarum Stoici artificium diligentissimè atq; exactissimè persecuti sunt. Aliæ sunt disiunctæ, aliæ coniunctæ,

aut

aut complexæ. Disiunctæ, in quibus si alterum sit, alterũ prorsus non est: & si alterum non existat, omnino alterum est, ceu cum dixero, uel dies est, uel nox: sed nox est, dies igitur non est. Ita ergo altero posito, tollitur alterum. Sublato itidem altero, constituitur alterum, cum dico: At dies non est, nox est ergo. Vel, uerũ nox non est, dies igitur. Eiusmodi itaq; est disiunctum, in quo illud, uel dies est, uel nox, tanquã proloquium, hoc est tanquã euidens & cõmunibus sententiis consentaneum, accipitur. Hæc enim ἀξιώματα Stoici uocabant. Cæterùm complexum est, ubi, cum duo sic inter se iuncta sunt, ut alterum antecedat, sequatur alterum, constitutionem antecedentis excipit sequens: & cum sublatione sequentis tollitur antecedens, ut coniungit͛ uerè: Si dies est, nox non est. Verè enim hoc, dies est, antecedens, sequitur illud, si dies est, nox non est. In hoc igitur complexo, cum cõstitutione antecedentis ponitur sequens, sed dies est, nox igit͛ non est. Sublatione uero sequẽtis tollitur antecedens, sed non nox non est, sed est uidelicet, (duo enim sublationes unã affirmationem efficiunt) dies igitur non est. Tale igitur est coniunctum uel complexum. Sed deinceps quid Epictetus dicat, dispiciamus, illud, uel dies est, uel nox, in disiuncta ratiocinatione, tanquàm indubitatum proloquium assumitur: in coniuncta non item. Proloquium enim ibi assumptum complexum est, si dies est, nox non est. Velut igitur, inquit, hoc, uel dies est, uel nox, aduersus disiunctum magnam habet dignitatẽ, (ab eo enim pendet omnis disiuncta ratiocinatio) aduersus autem coniunctum, indignitatẽ: (diuellit enim complexum, qui ait, si dies est, nox nõ est) Ita in conuiuio maiorem portionẽ eligere, quod ad corpus attinet, utile est, ac egregium: Ad conseruandam autem cõionem ac societatem in conuiuio, indignitatem habet. Nam distrahit ac rescindit societatem, quemadmodum coniugatum copulat. Quando igitur cum aliis cõuiuaris, memento ne solùm corũ quæ apposita sunt, aduersum corpus tuum cupiditatẽ aspicias, & ex ipsis eligas, sed aduersus quoque animi societatem, quã seruare inculpabilẽ oportet. Porrò licet cõuiuii exemplum attulerit, cõmuniter ad oẽm societatem & coniunctionẽ spectare opus est. Immẽsa enim auiditas omnem discindit societatẽ, uelut æqualitas pro cuiusq; portione retinet, auget, ac conseruat. Nam uel prædonum societas, quãuis ex talibus constet hominibus, tandiu seruatur, donec id præceptum custodiant, ne plus altero quis sibi arroget. Nam hoc solo iustitiæ uestigio iniustitia illa cohæret. Verùm cum superius sæpe auditorem ad libertatem adhortatus esset, & alibi ad fortitudinẽ ac magnanimitatẽ, prudentiam item & cõtinentiã, hic ad iustitiã ipm parat, eiq; nimiam auiditatem ac inæqualitatẽ obstare existimat.

Quòd non bonum simpliciter, sed quod nobis faciat eligendum, Cap. 52.

Si personam induisti supra tuas uireis, neq; eam sustines, & quod implere potueras, omisisti.

Suscipiendum onus nostris uiribus par, Cap. 85.

Non quod simpliciter optimum est, tractare oportet, sed qđ nobis cõueniat optimum. Nihil enim immodica cepta proficiunt. Quare non oportet petulanter maiores induere personas magistri, aut philosophi, aut in naui gubernatoris, aut in urbe magistratus. Præstat enim humilem personam bene agere, eamq; sustinere, aut etiam superare, quàm in eminenti turpiter deficere, ac dignitatem illius minuere. Satius item priuatum præceptorem optimum, q̃ magistrum, indignum ac uilem esse: Et dispensatorem frugi, quàm principem neq̃. Nam nedum personam maiorẽ sustinemus, non ex opinione dico sed ex ipsius rei natura, uerũ uel quod modicè tractãtes rectè efficere poteramus, amittimus. Præstantior enim est actor in tragœdia & comœdia, qui seruum rectè agit, q̃ qui sub persona dominum aut regem nõ rectè. Hoc etiam caput mihi ad iustitiã spectat, cum dignam in uita personam deligendam moneat, à nimiaq; auiditate deterreat.

Quomodo animum uel ab irrationalibus affectibus, uel à suo peruerso iudicio seruemus. Cap. 53.

Inter ambulandum quemadmodum caues ne clauum calces, aut pedem distorqueas: Ita caue ne quod in te ipso dominatur, offendas. Et hoc si in quauis re seruemus, tutius illam aggrediemur.

Per similitudinem, quid cauendum, docet, Cap. 86.

Duobus modis animus læditur humanus, uel cum irrationalibus infixus atq; implicitus affectibus, & per ipsos corpori conglutinatus, reclamat quidem uelut ægrè ferens, superatur tamen affectibus, premiturq; imperio ipsorum potentiū: Vel cum suo ipse iudicio distorquetur, quia se ab irrationalibus affectibus diuersum esse nō dignoscit. Præcipit igitur Magister ab his utrisq; cauēdum, & à uitæ cursu, quem deambulationi comparauit, ut ne irrationalibus affectibus trāsfigamur, qui corporales cū sint, clauorum more animum confixum cum corpore compaginant. Quis autem clauus sic affigit, ut irrationales hi affectus, qui ut animus idem & se & ipsos & corpus esse putet, faciunt? Ac inuersionem quidem partis animi opinantis, & ferè terrenæ, qua cum corpore cōmunicat & uita corporali, aptè pedis luxationi comparauit. Atq; admonet, ut quemadmodum inter ambulandū corpus custodimus: ita dum rem aliquam, quæ in uita quotidie accidat, aggredimur, rationalem animum, qui secundum naturam in humano animali dominatur, & ex quo id animal formatur, seruemus, ne imprudens aut affectibus inflammetur ob luxum, aut iudicium & opinionem suam inuertat ob socordiam. Nam si in singulis rebus sic nobis cauerimus, uelut cunctantes, tutius rem capessemus. Ac licet paruus lapsus euenerit, si cauti simus, facilè ipsum corrigemus. Nam quanuis pede parum errante clauum calcemus, aut inconsideratè pedem imponamus, tamen quia cauemus, & à clauo facilè pedem retrahimus non infixum, & pedis gressum facilè pòst emendamus, atq; componimus.

De eorum, quæ ad corpus pertinent, possessione. Cap. 54.

Modus possesionis vnicuiq; corpus est, uelut pes calcei. Si in hoc ergo consistas, modum seruabis: Si excedas, in præceps feraris necesse est. Velut in calceo, si supra pedem extendas, fit aureus calceus: Deinde purpureus, deinde punctabundus. Nullus enim terminus est, ubi semel modum excesseris.

Tenendum in possessione modum. Cap. 87.

In his, quæ ad corpus attinent, ut uestibus, alimentis, possessionibus, pecuniis, duo hæc sunt, possessio, & usus: Cum itaq; superius de eorum usu tractasset, & quantum ad frugalem corporis necessitatem satis esset, usum eorum assumendnm esse, & omne superuacuum quod ad gloriam aut delicias spectaret, demendum esse præcepisset: Nunc de eorum usu agit, modum huius quoq; corpus esse asserens. Nam possessionis modus est ipse usus: quippe possidemus, ut utamur: Vsus autē modus est corpus, eiusq; necessitas: Possessionis itaq; modus erit corpus, eiusq; necessitas. Quare si quis hunc usum spectet, pellibus frugalibus contentus erit, parte superiore ad fomentum & pedis tutamen: inferiore, ne cōtinuatè noxia calcemus. Quòd si quis pedis usum excesserit ad ornatum nimium & luxum, fit aureus calceus, seue inquit, purpureus, seu punctabūdus. Eiusmodi uero deliciæ, ut apparet, apud Romanos erant, purpureorum aut punctabundorum cura superuacua, ut uel aureis ipsos ornarēt. Ita quoq; tam in possessione, quàm in rebus corpori necessariis, si quis modum excesserit, in infinitum pòst fertur, alia aliis adiiciens, donec ad fastigium luxus, inanisq; gloriolæ peruenerit. Propter id enim euersio, & euersionis comes misera egestas, & calamitas cum ipsa uenit. Nam si decem possideamus, uiginti cupimus: Si uiginti, quadraginta, & ita deinceps: nec terminus aut modus ullus est insatiabilis auiditatis in profundum impulsionis. Liquet porrò in omnibus, quæ ad corporis usum necessarium sumuntur, qui terminum aut limitem naturæ transilit, in infinitatem delabi, ut & scopi obliuiscatur, & usus, ad quē id confert, quod corporis est. Atqui corpus ipsum torquemus, ut acquiramus modò. An uerò calcei exemplum, si latè sumatur, nec in superfluo tantū ornatu, cum excedat modum, nos offendentes in ipsum sæpe, ac incidentes, uel in præceps fert aliquādo? Verùm ex iis, quæ de usu dicta sunt, ea quoq; quæ ad possessionem pertinent, diuidenda sunt, ac diiudicanda. Erunt uerò & hæ summæ, ut conuenientem modum in possessione & usu externorum seruare doceat, nosq; ad iustitiam atq; æquitatem dirigat.

De officio

De officio & cura erga uxorem. Cap. 55.

Mulieres statim à quartodecimo anno dominæ uocantur. Cum igitur sibi nil aliud inesse uideant, nisi quòd cum uiris concumbant, omnem deinceps suam operam in corporis cultu impēdunt, in eoq; spem vniuersam ponunt. Monendæ igitur sunt, fore ut apud nos in honore sint nihil ob aliud, nisi si modestæ sint, & virum reuereantur.

Vxorem, ut modesta sit, monendam. Cap. 88.

Cum uxorem ducere iis permisisset, qui uitam secundum naturam agere uolunt, breuibus uxoris quoq; erga uirum conuenientem obseruationem explicat, conferens ipsi uulgarium hominum usum, & ex malis, quæ illi iuncta sunt, hunc corrigit. Homines enim inquit uulgares mulieribus statim à quartodecimo anno ob ætatis florem blandiuntur, atq; honorant, dominas uocantes, non alia de caussa, quàm concūbendi. Quare meritò illæ ad hoc se parantes, cultui corporis student, inq; eo omnē spem locant. Nec tam ipsæ culpandæ sunt, quam uiri, qui propter id eas obseruant coluntq;. Quare statim ab ipso initio monendæ sunt, ob aliud nihil apud nos fore in honore, quàm si moratæ sint, & uerecūdè uiro succumbant. Si hæc enim habuerit, non ægrè posteà ad domus curam, liberorum educationem, uiriq; obseruantiam, & frugalem uitam accommodabitur, quæ omnia fœminis honestis & pudicis conueniunt.

Degeneris signum, deq; nimio corporis cultu. Cap. 56.

Degeneris signū est, insistere ys, quæ corporis sunt, ut plurimo exercitio, plurimo corporis cultui, cibo, potui, excrementis, veneri. Verùm hæc obiter agenda sunt, circa mentem autem oīs cura uersetur.

Mentis curam agendam. Cap. 89.

Vt generosi ad summa suæ naturæ, perfecta, & exacta aspirant, iisq; insistunt: sic degeneres uilibus, infimis, sordidis, & multitudini peruiis īmorantur. Si Homo itaq; formatus ex rationali animo, qui corpore uelut instrumento utitur, ab animi secūdum naturā actionibus auocetur, & corpori det operā atq; insistat, degeneris animi est argumentū, ut caussa quoq; eius ignobilitas est. Nam quis ullius existimationis artifex circa ferramentorum apparatum & cultum omnem insumit operam, arte, quæ ipsis utitur, neglecta? Nec degeneris animi modò indicium est, iis quæ corporis sunt insistere, sed cōsensus uel maximi. Quibus nāq; delectamur, & consensum præbemus, iis insistimus. Occupationi itaq;, inquit, circa corpus, obiter est incumbendum: studium uerò præcipuum in eo, quod corpore utitur, collocandū est. Hæc etenim æqua est eorū, quæ ad nos pertinēt, circa ipm distributio.

Præceptum ad patientiam & mansuetudinem. Cap. 57.

Cum quisquam tibi male facit, aut dicit, memento illum suum se officium facere arbitrantem, facere aut dicere. Esse igitur non potest, ut is id quod tibi uidetur, sequatur, sed quod sibiipsi. Quòd si male sibi uidetur, ipse læditur, qui & deceptus est. Verum enim coniugatum si quisquam falsum arbitretur, non coniugatum ipsum læditur, sed qui decipitur. Si ab his igitur mouearis, mitem te aduersus cōuiciantē præbebis. Loquere enim in quauis re, Sic ipsi uisum est.

Non egrè ferendum, si quis male dicat, aut faciat. Cap. 90.

Hoc quoq; præceptum ad patientiam hortatur atq; mansuetudinem, idq; ratione bipartita: Vna, quoniam unusquisq; suam imaginationem, & quod sibi bene habere uidetur, sequitur, nisi & ipsi pariter uideatur. Non est itaq; iniquo animo ferendum, si quod sibi bene habere uidetur, sequitur: Nam tu quoq; id facis, & uniuersi homines. Quis igitur sanæ mentis de communi natura queri ausit? Quòd si quoniam id quod nec bene nec iustè se habet, ipsi bene habere uisum est, idcirco quereris, indigna hæc quoq; atq; absurda querimonia est. Ille etenim læsus est, non tu. Qui enim quod non rectè habet, rectè habere putat, deceptus est. Qui uerò deceptus est, læditur. Qui itaq; tibi malè facit aut dicit, ipse est qui læsus est. Licet nec tu nec quisquam ualdè potētium ipsum lædere potuerit. Quandoquidem quæ extrà noxia uidentur, in corpus fiūt & atq; in externa. Quò fit, ut ipsum nulla

tangat offensio. deceptio uerò animi est, ex quo cōstat. Porrò eū, q deceptus est, nō id, ī quo deceptus est læsum eē, apertè ī dicauit ex eo cōplexo, ut siqs, diē eē solē sup terrā, falsum eē putet, non cōplexū ipm lædit, sed q in eo deceptus est. Ita q tibi pter honestatē male dicit aut facit, ipse ē læsus: Tu nec læsus, nec quicq̄ mali passus es, pſertim si in iis, quæ in nobis sunt, Boni & mali substātia uersatur. Si cogites itaq;, tum ut quisq; qđ sibi uideť sequatur necesse esse, tum illum esse læsum, non te: sedatè & fortiter conuicia tibi dicentē feres: Si singulis illud dicere consueueris, Visum fuit ipsi. Et quod uisum est, sequatur necesse est.

Quòd res omnes partim alteræ alteris consentiunt, partim dissident. Cap. 58.

Omnis res duas habet ansas, alteram quæ ferri possit: alteram quæ non posit. frater si iniurius sit, ne eum inde capias, quòd scilicet est iniurius (hæc enim eius ansa est, quæ ferri non possit) Sed inde magis, quòd frater est, quòd tecum educatus. Atq; ita inde eum capies, unde ferri possit.

Omnia boni consulenda. Cap. 91.

Omnes res, quæ ortui obnoxiæ sunt, cum ex contrariis constent, partim consentiunt secum & congruunt, & inter se ferenda sunt: partim dissident, & intolerāda sunt, uelut ignis, cum siccus & calidus sit, quo ad calidum, cum aëre cōuenit, & ferēdus ipsi est: Sed quo ad siccum, opponitur, & aduersatur. Ita si frater iniuriam faciat, & is duas habet ansas, alterā ferendam, quæ est fratris, alteram non ferendam, quæ est illatæ iniuriæ. Porrò constat nos aduersus ferenda, blando, sedato, & placido animo esse: non ferēda autem acerbè, asperè, ac molestè pati. Si itaq; bono animo esse semper, & blandè ac placidè omnia accipere oportet, cum oīa binas illas ansas habeant, ab ea quæ ferri potest, ꝑhendenda sunt. Nam cūcta hæc reuera talia sunt, opes, paupertas: ualetudo, morbus: nuptiæ, cœlibatus: liberi, orbitas, aliaq; omnia, quæ in uita sunt. Nam opum ferenda quidem est ubertas & copia: non ferendum otium & nimis intenta auiditas. Et paupertatis, ferenda est quies & uacatio à negotiis: non ferenda, inopia. Valetudinis ferenda bona habitudo, & agilitas: non ferenda, peruicacia. Morbi ferenda est mediocritas animi affectuū, non ferēda afflictatio. Nuptiarum ferenda est, prolis susceptio, & ministerium: non ferenda inconstantia, & nimius consensus. Porrò orbitas quoq; cōmoditates multas habet. Nam & otium ad honestiora studia præbet: Curas adimit, quæ ut magnam filiis hæreditatem relinquamus, nos cruciāt: & qđ maximū est, ut arbitror, nō cogit nos, ut filiis qui interim improbi sunt, consentiamus. Quin contumelia & conuicium, aliqua ferenda obtinēt. Modò, ut quædā nostra uitia, quæ nos prius latebent, cognoscamus: Tum ut semp patiētiæ nostræ faciamus periculū. Corporis item cruciatus, quē maximè omnium fugimus, habet quid ferendum, animi scilicet exercitationem, atq; expiationē. Hæc autem oīa magnum in se bonum cōtinent, uirilem tolerantiam. Nam magis homini conducit, ut lapsus rectè se gerat, q̄ ut nunquam labatur. Quando non labi, corporis bonum est, atq; externorū: Rectè se gerere, animi. Inimici quoque ansas binas hñt: possumusq; ex illis iuuari, si seuerius examinauerimus affectus: tutioresq; euadere, si faciamus. Nam Plutarchus quidem Chæroneus de utilitate, quæ ab inimicis capitur, iustum edidit uolumen.

De sermonum congruentia. Cap. 59.

Hi sermones non congruunt, Ego sum ditior te, ego igitur melior te. Hi autem magis congruunt, Ego te ditior sum, mea igitur possessio, quàm tua melior est: Ego te eloquentior, mea igitur oratio, quàm tua melior. Tu uerò neq; possessio es, neq; oratio.

Propter eloquentiam non de se magnificè sentiendum philosopho. Cap. 92.

Qui arti dicendi operam dant, prorsus in ornatu & cōpositione occupati sunt. Id quod philosopho nō conuenit. Nisi igitur diligenter à puero eductus per orbem illū scientiarū fuerit, naturalem, non arte quæsitam eloquentiam habet. Quòd si cōtigerit, philosophum propterea se iactare uetat, ut qui hunc non habeat finem, nec secundū id formatus sit. Elocutio certè si splēdida fuerit, suum bonum nacta est, & qui sibi ornatè dicere pro fine pro-

posuit, poeta est, aut historicus. Atqui ex uita rónali formatus est, finemq́ habet, ut pro eius natura agat, non si aliquo facúdior fuerit, idcirco se iure melioré illo uocauerit. Nam ipse non est oratio, nec pro fine sibi proponit orationem, ut secundum illam formet, uelut omnes artifices secundum artem: Sed æquum est dicere, mea oratio est tua pstantior. Ac præcipuè quidem agit, ut philosophi nimiam curam in oratióe cohibeat, exemplo autem locupletioris utitur, ut modestius increparet.

De iudicio rerum exacto. Cap. 60.

Lauatur quis citò, ne dicas male cum lauari, sed citò. Bibit quis multum uini, ne dicas male, sed multum. Nisi enim eius consilium scias, unde scis an male? Sic enim accidet, ut alias apprehensiuas imaginationes assequamur, alijs assentiamus.

Non iudicandum, nisi agentis consilium nouerimus. Cap. 93.

Acrius de rebus iudicium nos habere uult, ut nec queq̃ uituperemus, nec laudemus, si quid agat, nisi scopum intellexerimus, ad quem ipse respiciens agit. Is enim est, qui quod fit, iformat. Quare quispiã uerberans iuuat, alens lædit. Quin surripiens iustè agit, præbẽs iniquè. oportet igitur, quæ fiant, ipsa priuatim diiudicare, si lauatur quis citò, citò cum lauari dicere, non tamen qualitatem adiicere, bene, aut male, donec scopum & consilium cognouerimus. Quid enim, si fessus, qui noctem perpetuã uigilarit, & balnei ministerio opus habeat? Sed scopus addit qualitatem, bene, an malè factum sit. Nunc igitur expectare oportet, ut an qui citò lauatur, benè an malè agat, pronunciemus. Nam & multũ uini bibere licet, & propter corporis temperaturam, & propter cœli intemperiem, ut ante Caniculam, & sub æstu, tum propter locum pestilentem. Quòd si non ita agamus, ut actiones ipsas, ut sunt, iudicemus, & dicamus, aut citò, aut multum: qualitatem uerò non adiiciamus fit, ut alia sentiamus, (id enim est apprehensiuas imaginationes capere) hoc est in aliis asse qui, quod apparet, ut citò, et multum: in aliis assentiri, hoc est iudiciũ ferre, quod uisum est, aut male aut bene pronũciando. Id quod turpe est, ut cum aliud quid cõspexeris, aliud de ipso pronuncies. Sibi autem uult Epictetus, ut puto, ut nec temerè laudemus, nec uituperemus. Aut potius iniustè uituperare uetat, quare de eo quoq; uerba facit. Quod etiam ad iustitiam atq; æquitatem spectauerit.

Aduersus gloriam atque ostentationem. Et primò circa scientiam. Cap. 61.

Nullo modo teipsum dixeris philosophum, neq; multũ loquere inter eruditos de speculationibus: Sed fac aliqd ex ipsis speculationibus, ueluti in cõuiuio, ne dic quo pacto oporteat comesse, sed comede ut oportet. Memento enim & Socratem undecunq; abstulisse ostentationem. Adibant ipsum, uolentes philosophis ab eo tradi, & ipse eos adducebat & cõmendabat, adeò se contemni æquo animo ferebat. Quòd si de aliqua speculatione sermo inter ineruditos incidat, tace utplurimũm. Magnum enim periculum est euomere, quæ non concoxeris. Et cum quis dixerit, te nihil scire, idq; te non remordeat, tum scito initium esse operis. Nam & oues non herbam euomentes, pastoribus ostendunt quantum comederint: Sed cibũ intus concoquentes, uellera extrà ferunt, & lac. Et tu igitur ne ineruditis speculationes ostenta, sed ex his concoctis opera.

Non uerbis, sed re philosophum esse oportere. Cap. 94.

Cum eo, qui adhuc proficit, loquitur: non enim cum absoluto philosopho. Nam ille his præceptionibus opus non haberet, nec dixisset aduersus ipsum, periculum esse, statim euomere, quæ non concoxeris. Quoniam eos, qui adhuc promouent, ambitio & ostentationis affectus perturbãt, multis argumentis ipm expiare uult, uelut hoc, mentitur q æs, quod cõflatur, statuam: & fœtum, hominẽ uocet. Ita quoq; qui adhuc proficit, philosophus appellari uerè nõ potest. Quòd siquis & uitæ magnitudinem consummati philosophi intueať, & eminentiam aduersus alios homines, non mentiri modò, sed uel impius esse uidebitur. Qui uerò philosophum se esse negat, non profectò, cum se in numero philosophorum nõ ponat, docẽdi munus aggreditur. At quomodo (dicat quispiam) exercitationẽ & usum

exerceri uelis & ad laborem & ad tolerantiam, tecũ ipse id agas, nec appareas externis, nec multorum oculis: Vt qui à multis potentioribus uim patiuntur, & plebem ad auxilium conuocare uolunt, in statuas ascẽdunt, & uim se pati proclamant, & multitudinem circa se cogunt. Non ad ostentationẽ igitur, sed tecum ipse exerecaris, ut cum uehemẽter sitieris, frigidam aquam haurias, & expuas. Nec posteà cuiq̃ te id fecisse, cõmunica. Nam qui ad ostentationẽ hæc facit, primò totus extrà uergit, à seq̃ ipso ad externa effusus est: Præterea frugalitatis & tolerantiæ bona amisit, cum ipsarũ finẽ in uulgari gloria ponat. At hæ exercitationes & tolerantia iuuant, cum assuefaciant ipsum corpus, & eius irrationales affectus à ratione non desciscere, sed parere uel asperiora iubenti. Siquidẽ, ubi res & tẽpus exiget, hic patiens ob laboris tolerantiã, suam amittere libertatem non cogitur.

Descriptio triplicis habitus, inerudititi, philosophi, & proficientis. Cap. 63.

Inerudtti status & formula: Nunquam à seipso expectare utilitatem, aut nocumentum, sed ab externis. Philosophi status est & formula, omnẽ utilitatem ac nocumentum à seipso expectare. Signum proficientis hoc est: Neminem uituperat, neminem laudat, de nemine queritur, neminem accusat, nihil de seipso dicit, ceu si sit aliquis, aut sciat aliquid: Cum in re quapiam, aut impeditur, aut prohibetur, seipsum accusat. Et si quis ipsum laudet, ridet laudantem ipse secum. Et si uituperet, non se expurgat. Degit aũt instar ualetudinarij, cauens aliquid eorum, quæ sunt in se, cõmouere, prius q̃ ad soliditatẽ perueniat. Appetitum omnem à sesustulit. Declinationem uero in ea tantum, quæ sunt contra naturam eorum uidelicet, quæ sunt in nobis, transtulit. Conatu ad omnia remissè utitur. An stultus, an rudis dicatur, minimè curat, utq̃ uno explicem uerbo, quasi aduersarium seipsum obseruat, & quasi insidiatorem.

Statuum diuisio. Cap. 97.

Cum iam ad finem pceptorum peruenerit, & conclusionem platurus sit, nõ dictis orationibus standum, sed opera ipsarum exequenda, nec finem sibi statuendũ in dicendo, aut audiendo, sed in agendo: Primò nobis tres habitus exponit, qui uniuersos hoĩes cõplectuntur. Nam hominum alii sunt inerudití, alii his oppositi, philosophi: Alii, qui ab ineruditis absunt, & ad philosophos accedunt, quos proficientes uocat, quibus priora dicta sunt. Atq̃ hos sanè in sermonibus in duas diduxit parteis, in eos qui erudiri incipiunt; & in eos, qui aliquatenus iam promouerunt. Singulos igitur memoratos habitus describit: Ineruditi statum esse & formulam dicens, nunq̃ à seipso expectare utilitatem aut nocumẽtum, sed ab externis. Quoniã cum in nobis sit tam ratio, secundũ quã formati sumus, q̃ irrationales affectus, quos cum mutis animãtibus habemus cõmunes. Ratio, ut puerbio fertur, cõmunis est Mercurius. Nam quãuis numero distent rõnes quæ in nobis sunt, forma certè una est, ita ut ad eadem bona tendãt, eadem mala declinẽt, ueraq̃ eadem putent uniuersi, quod ad rõnem attinet, & contrà, eadem oĩa falsa. Quãobrem in singulis ratio tanq̃ norma, diiudicat bonum & malum, uerum & falsum. Verùm formas incorporeas & indiuiduas expetunt rõnes, uelut modestiã, iustitiam, & prudẽtiam, quæ integra singula à singulis participari possunt, eum tamen cõicata non decrescant. Et cum recta ratione iudicentur, non pugnant, sed eadem secum optimè conueniunt, eademq̃ ferè inter se sunt. At affectus irrationales, ut iracũdia, cupiditas, & eorũ species, licet specie iidẽ sint in me & in te, aliud tamẽ appetit iracundia mea, aliud tua: & cupiditates diuersæ sunt, & earũ appetenda: cupiditates item diuersæ, & priuatæ singulorũ sunt. Et licet eadem numero appetãt, at corporalia hæc sunt, diuidua & sectilia, & quæ unius cõicatione minuantur, uelut pecuniæ, corpora, agri. Et si honorem dixeris, aut magistratũ, aut principatũ, cum diuidua hæc quoq̃ sint, nõ possunt penitus singula participare, quoniam cõicatione diminuũtur. Quare circa has res diuersa singulorum iudicia ac sentẽtiæ sunt, pugnæ, seditiones, & bella. Ineruditus igitur est, qui cõem regulam reliquit, & cõmune expetendum, seq̃ ad iudicium suum, & priuatũ appetendum, indiuiduũ & corporale circũscripsit. Hæc autem sunt in externis. Quò autem appetitus porrigitur & declinatio, siue secundũ naturam, siue contra naturã, ibi bonum ui

detur & malum. Bonum, quod appetendũ, malum, qđ fugiendum eſt, cenſetur. At Philoſophus, qui ab externarum rerũ ſtatu refugit, eaſq; alienas prorſus exiſtimat, ut qui iam imaginationibus, & rerum umbra expurgatus ſit, ad ſeipſum, & uerè bonũ, & cõmunes rationis formas quæ in eo ſunt, cõuertitur, atq; in ſe bonum reperit. Malo enim in ipſo nihil eſt loci. Ita igitur cum ea, quæ ſibi ex diametro oppoſita ſunt, effiguraſſet, deinde proficientis ſigna adducit, ad quẽ etiam oĩs pdictus ſermo ſpectabat. Nam nec philoſopho conueniunt. Neq; enim inſtitui & doceri, ſed alios inſtituere ac monere debet. Quinetiam nec phi eſt, neminẽ uituperare, neminẽ laudare, cum id opportunè magiſtro & monitori conueniat. Nec ptereà inerudito congruunt narratæ orationes, niſi ſi diſcreto ineruditorũ ordine, ſeſe Præceptori formandum ad philoſophiam cõmiſerit, & pfectus initiũ capiat. Plera q; igit, quæ prius cõmemorauerat, nũc breuibus repetit, iiſdemq; ferè uerbis, quæ nobis in memoriam reuocat, & ut propter breuitatem facilè retineri poſſint, facit. Quod uero dictum eſt, tanquàm inimicum ſe obſeruare oportere, tum quia illius habitum nondum coaluiſſe & conſtitiſſe ſuſpicatur, tamen etiam ut ſuas motiones actius & exactius ac iudicare ſtudiat, ut res inimicorum iudicamus, non oiecti affectu, ut uulgares faceæ ſolent, qui & in ſuis & in amicorum rebus affectu ducuntur. Is autem eſt ut lorum emolltiũ, quod quacũque trahas ſequitur.

Quòd uerba propter opera. *Cap. 64.*

Cum quis ideo gloriatur, quòd Chryſippi ſententias & intelligere & interpretari poſſit, dicas ipſe tecum, niſi opertè Chryſippus ſcripſiſſet, nequaq̃ haberet, unde gloriaretur. At ego naturam cognoſcere volo, & eam ſequi ducem. Quæro itaq; qui interpretetur, & ubi audiui, Chryſippum, adeo ipſum, ſed ſcripta nõ intelligo. Quæro igitur interpretem. Atq; hactenus quidem, nihil magnificum. Vbi nactus fuero interpretem, reliquum eſt ut præcepta actione confirmem. Hoc unum magnificum eſt. Quòd ſi interpretationem dũtaxat admirer, quid aliud q̃ grãmaticus pro philoſopho euaſi? Niſi quòd Chryſippum Homeri loco interpretor. Magis itaq; erubeſco, cum quis mihi legendum Chryſippum proponat, cum non poſſum uerbis conſentanea opera efficere.

Concluſio. In actione conſiſtere uirtutem. *Cap. 98.*

Cum treis habitus diuiſiſſet, qui in hominibus reperiuntur, ineruditi, philoſophi, & proficientis, eaq; quæ ad proficientem pertinent, breuibus repetiſſet, concluſionẽ demũ affert, & hoc & ſequẽtibus capitibus, Opera. ſ. quæ orationibus tradita ſunt, efficiẽda eſſe. Nam uerborũ finis eſt opus, cuius gratia etiam uerba dicta ſunt. Veriſſimè. n. hic quadrat illud Demoſthenicum, Quoniã ſermo oĩs, ſi res abſint, temerarius ac inanis eẽ uidetur. Oportet itaq;, inquit, cogitare, quid uelit homo, qui ſuum bonum quærit: Velle ſcilicet cum ſuam naturã, qualis ſit, inuenire, & quid ei agere aut pati conueniat, ut uita rationalis, quæ corpore tanq̃ inſtrumento utitur, & eius perfectioni oportet ſuũ appetitum & declinationem accommodare. Quærens igitur hoc, audio de his rebus ſcripſiſſe Chryſippum, ſumpto libro, iam ſcripta eius meo marte aſſequi non potui, ſed inuento interprete, quid ſibi uelit Chryſippus, intellexi. Atq; hactenus quidem nihil magnificum neq; interpreti, neq; intelligenti. Nam neq; Chryſippus idcirco de ea re ſcripſit, ut explicaretur atque intelligeretur, ſed ut actione cõfirmarent, quæ ſcripta ſunt. Si itaq; ea, quæ ſcripſit, uſu exequar, iam eorum bonũ aſſecutus ſum. Quòd ſi interpretẽ admiratus fuero, q, rectè interpretet, & intelligat, poſſimq; & ipſe interpretari, et oĩa habeo, præter uſum ſcriptorũ, quid aliud, q̃ grammaticus pro philoſopho euaſi? Nam pars quædã grãmaticæ eſt exegetica, hoc eſt interpretans. Eo aũt à grãmatico diſto, quòd Chryſippũ pro Homero interpretor. Alioquin leuiter tãtũ legere ſcripta Chryſippi, aut alteri, qui petierit, interpretari, atq; ipſis nõ uti, non caret reprehenſione. Quandoquidẽ, ſi quis ægrotãs, & morbi remedia ſcripta inueniẽs, legat ipſa clarè atq; diligenter, aut aliis etiam ſi opus ſit, enodet, ſed ſui morbi remediis non utatur, turpiſsimum fuerit.

Quòd

Quòd in his perseuerandum. Cap. 65.

In re proposita perseuerandum uelut in lege est. Persta igitur, uelut si hæc trāscendas impius sis futurus. Quodcunq; autem quis de te dixeris, ne cura. Id enim haud amplius tuum est.

Durandum, ut habitum acquiramus. Cap. 99.

Vnica hirundo, ut prouerbio fertur, uer non facit: Ita unus usus aut alter eorum, quæ à Chrysippo dicta sunt, habitū nō inducit. Sed oportet, inquit, in re ꝑposita, ut bona & utili, constanter perseuerare, ut transgredi impium putandū est. Nā si pacta & conuentiones in rebus uilibus & despicabilibus transilire turpe & impiū uidet̃, tanq̄ ueritas & fides, quibus oīa constant ac permanent, quod ad nos attinet, irritæ fiant atq; antiquentur: Quantò turpius conuentionē philosophiæ & bene uiuendi conuentionē transgredi? Ille aūt transgreditur, qui quæ dicta & scripta sunt, honesta & uera esse cōfitetur: hinc cū ad usum eorū uenerit, non perseuerat. Persta igit̃, inquit. Quid aūt de te dicatur, ne cures. Per quæ indicat quæ superius dicta sunt, Multi erunt, qui dicant, repente nobis philosophus emersit. Et, unde nobis hoc superciliū? & alia eiusmodi. In nobis .n. nō est, ut illi dicāt, aut non dicant. Videt̃ porrò hic uir id quod symbolicè à Pythagoreis dictū est, significare. Aiebant .n. illi, Cum ad montes ueneris, ne respicias, indicare uolentes, qui ad Deum proficiscitur, nihil ambiguum habere oportere, & humanis addictum.

Quòd supersedendum non est, sed quamprimum ad hæc incumbendum. Cap. 68.

Quo te usq; differs, ut te aliquando dignum his, quæ optima sunt, putes, neq; unq̄ transgredi diuidentem rationem statuas? Accepisti speculationes, quibus te componere opus erat. composuisti. Quem adhuc magistrum expectas, ut ad illum tui emendationem differas? Non es amplius adolescens, sed uir iam absolutus. Si nunc neglexeris, aut socors fueris, & semper proposita ex propositis feceris, & dies alios post alios statueris, post quæ tibi ipse des operā, inscius & imprudens nihil proficies, sed ineruditus manebis & uiuens & moriens. Iam itaq; dignum te putes, qui tanq̄ perfectus & proficiēs uiuas, & quod optimum uisum fuerit, lex tibi sanctissima esto. Si laboriosum quid, si iucundum, si gloriosum, si infame afferatur, memento nunc esse certamen, iam appetere olympia, nec differendum esse. Si semel item cesseris, aut uiceris, perire aut seruari profectum. Socrates hoc pacto euasit sapientissimus, omnia aggrediens, nil aliud respiciens, q̄ rationem. Quòd si ipse nondum es Socrates, at uiuere debes ut qui Socrates esse uelis.

Non differendum, nec comperendinandum. Cap. 100.

Hoc quoque admonendus erat, qui præcepta optimè assecutus esset, ne moraretur, nec differret, nam,

Infelix semper, qui in longum tempora differt.

Ignauiæ indiciū est dilatio. Quousq; igitur, inquit, differs, ut te dignū singulorum dictorū usu putes? Hæc enim sunt optima, tanq̄ absolutissima. Et scopus reuera ac finis orationum, & ut nulla in re rectā transgrediatur rationē, sed ut per se omnia agat, & appetēdo & declinando. Alius .n. fortè diceret, moror, ut Logicas & Morales speculationes audiā. Tu uerò iam profectū fecisti in philosophia, cū speculationes prædidiceris, quas rectè dictas esse fatendū est. & tūc te eas executurū pollicitus es. Quē igit̃ magistrum adhuc expectas, ut ad eum tui emendationē differas? At qui iuuenili æstu exultāt? Tu uerò nō es adolescēs sed uir iam mente consummatus. Quare nec decrepitus senex. Si itaq; socors fueris, & propositum ex proposito, diē ex die statūeris, post quæ tibi des operā, inanē spem in te pascis, hodiernū & crastinū cogitans. Nō proficies igitur, sed deficies paulatim ob assuetudinem ignauiæ, & ineruditus eris tam uiuens q̄ moriens. Velut .n. illa his initiū ꝑbet, magnumq; emolumentū est naturæ præparatio, quam inde habemus, ita hæc illa īchoat præparatio. Vna enim est tota uita, licet huc illuc euariet. Iam igitur dignū te puta, qui tanq̄ perfectus uiuas, non ceu qui assecutus sit (is enim his sermonibus non indiget) sed ut perfectus in proficiendo, q̄ semper proficias, nec unq̄ profectum intercidas. Verùm quod tibi bene habere uisum fuerit, pro lege habeas, eius actionē fungens. Omnibus autē incidētibus rectè,

uti licet: contrariis item, si rectã rationẽ adhibeas. Nam si quid aut laboriosum, aut iucundum, siue gloriosum siue infame afferatur: ut nec quod affertur, si sit paruũ, despicias, nec si magnũ, reformides. Nec permitte ut trãseat, sed in singulis uirtutis tibi pponi certamen existima, ut uel coronari, uel abdicari necesse sit. Nihil .n. reliquũ est, iminente certamine. Non oportet autẽ per socordiã prætermittere aliquẽ diem, nec rẽ ullam, ut putes te nihil ex eorum contemptu lædi. Vno.n. die, aut re una, tuus profectus & seruatur inquit, & perit. Quinam hoc? An quoniam qui uno die, aut re una socors fuerit, ignauior ac futilior euadit: Ita ut ubi alia res occurrerit, cũ hebetior sit q̃ prius, ab ea superetur, siquidẽ prima illa, & multò magis in alia: Atq; ita paulatim crescens hebetudo, profectum omnẽ prorsus rectæ rationis profligat? Verùm seruatur atq; augetur pfectus modo contrario. Ex uno .n. die & re una signum aliquod acquiritur, quãtus sit profectus: ut reliqua, quæ incidãt, cum maiore profectu excipiat, & magis, reliqua. Ita, inquit, Socrates oĩum hominũ sapientissimus euasit, cum se assuefecisset nulla in re suam differre utilitatẽ, sed in re qualibet incidẽte non alii q̃ rõni confidere, quæ ipsi consideranti optima elucescit. Tu autẽ & si nondum es Socrates, at uiuere debes, ut qui Socrates esse uelis. Qui uerò ad exẽplum aliquod respicit, eiq; se similem reddere uult, nunquam ad eius imitationem se comparare desistit.

Tres loci in philosophia, eorumq; inter se ordo. Cap. 67.

Primus ac maximè necessarius locus est in philosophia, qui ad usum speculationum pertinet, uelut est, non mentiri. Secundus qui ad demonstrationes, uelut est, cum mentiri non oporteat. Tertius qui ad eas confirmandas, & prospiciendas spectat, hoc est, quo pacto & unde id demonstrare possimus, uerum esse, aut falsum. Igitur tertius quidem locus necessarius est ob secundum: Secundus, ob primum. Maximè omnium necessarius, & in quo quiescere oporteat, primus est. Nos uerò contrà facimus: Tertio enim loco immoramur, in eoq; nostrum omne studium conterimus (primum uerò penitus contemnimus. Mentimur enim, quomodo autem demonstretur, mentiendum non esse, in promptu habemus.)

Speculandum, ut agamus: Cap. 101.

Quoniam qui philosophatur, suamq; secundũ naturã perfectionẽ recuperare uult, uitalem uerò & cognitricẽ reiicere ? ex sciã cognoscat necesse est, quid uerũ, quid falsum sit: ne ex opinione tantũ ea aggrediens, & sine rõne dicentibus fidem adhibens citra disciplinam, tum peccet, tũ etiam aliàs ad aliũ migrare cogatur. Cognitio aũt ex sciã per demonstrationem efficitur: Demõstratio uerò est, per euidentes propositiones artificiosè connexas, collecta rõcinatio. Quæ aũt propositiones quæ cãm non habeant, & quot compositiones ipsarum modi sint, ad logicã tractationẽ docere spectat. Quia itaq; hæc ita habent, tres sunt in philosophia maxime necessarii loci, Primus, qui ad usum speculationum pertinet, ut, re modestũ esse, non mentiri: Secundus demonstrationis, qui cũ cã demonstrat, hæc agenda esse: Tertius, qui rõnibus logicis corroborat ac diligenter exquirit, hanc demonstrationem esse, nec nos esse deceptos: qui docet, quid demonstratio, quid consequẽtia, quid repugnantia sit. Sequi ex partialibus uniuersalia. Si .n. homo est, animal est. Repugnant uerò ipsa opposita, ut, aliquis, nullus: oĩs, non oĩs. Et fieri neq; ut hæc sil sint uera, aut falsa. Ostendit præterea, qualis sit ratiocinatio, ex qualibus propositionibus, & qua cõpositione. Quæ falsa sit, quæ uera. Constat porrò tertiũ hunc locũ, qui logicam docet methodũ, ob secundum esse necessariũ, ut ex sciã cognoscamus, quæ naturã bona sint, quomodo sint parãda. Per opera aũt ipsa acquirimus. Hic igitur est maximè necessarius, & finis, ad quem erudiri oportet. Ob hunc enim, & huius ergò alii assumuntur. At nos contrà ac par esset facimus: Nam in tertio loco ĩmoramur uel maximè: in secũdo parum. Tertiũ, cuius gratia alii sunt, prorsus despicimus. Mentimur .n. sed quo pacto demonstretur, non esse mentiendum, & quibus rõnibus logicis, habemus in promptu. Cum tamen par esset, ubi, quõ demonstrandum sit, didicerimus, non esse mentiendũ: deinceps demõstrare & ex sciã cognoscere, non esse mentiendũ: Vbi uerò id cognouerimus, iam in opere perseuerare, cũ huius rei gratia

primus modus traditus sit. Valdè itaq; accommodate, & hortatoriè uel hoc capite nos ad sermonum præcipientium actionem deduxit.

Tres antiquorum sententiæ in promptu habendæ, quarum prima Cleanthis, Euripidis secunda, tertia Platonis. Cap. 68.

Semper hæc in promptu habenda,
O summe Pater, o' Fatum ineluctabile,
Quò destinatum est ire me deducite,
Sequar libens, nam & inuitus tamen sequar. Item,
Necessitatis imperata qui facit,
Sapiens habetur, & sciens cœlestium.

Conclusio ex tribus sententijs antiquorum. Cap. 102.

Quoniam præcepta, quæ ex ordine & latè nobis tradita sunt, breuiter quidam antiqui complexi sunt, ea in promptu ubiq; habenda esse consulit, tum quia facilè memoria teneri possunt, tum quoniam insignium uirorum testimonio, & commodè plata, nostrā in rebus præceptis confidentiam stabiliunt. Primum igitur est Cleanthis Stoici Asso oriundi, qui Zenonis auditor fuit, & Chrysippi præceptor. Huius uiri statuam admirandam in ipsa Asso conspexi, quæ à Romano Senatu ad uiri honorem erecta fuerat. Precatur autem in his iambis, ut à Deo ducatur, & ab eius agente & motrice caussa, quæ ab ipso ex ordine per omnia penetrat, quod Fatum ipse uocauit, pollicitans se impigrè ac libenter secuturum. Si enim repugnaro, inquit, non nisi malus ero, & tamen flens & gemens sequar. Imbecillius enim sequatur potentius necesse est, & effectus caussam. Id quod Epictetus quoq; per id caput indicauit, in quo aiebat, Ne quæras quæ fiunt, fieri ut uis, sed uelis quæ fiunt, fieri ut fiunt, & prosper eris. Hoc enim totam bene uiuendi rationem complectitur, conuenire scilicet cum integris, & uelle integrum se esse cum illis: non autem se ab integris auellere, & intra paruū ac nihil circunscribere, integrisq; repugnare, & uelle ut integra tam uilium partem sequantur. Secundum autem est Euripidis tragici, sed sensum idem continet. Necessitas enim est eā, quæ oia sursum & ad diuinā caussam ducit uolentia & inuita. Eam qui lætus sequitur, nec repugnat, is sapiens uerè est: qui & rerum naturam, & integrorum & partium discrimen rectè nouit. & quo honore quodlibet dignum sit: Diuinæq; potentiæ bonitatem, ut decet, colit.

Sed & tertium. o' Criton (si ita dys placet) ita fiat. Me verò Anytus & Melitus interimere possunt, lædere non possunt.

Hoc est ex Critone Platonis. Socrates est qui loquitur. Eandem sententiā breuius cōplectit'. Qui enim hoc non dicit modò, sed uita quoque confirmat, tum ut ne ab integris diritmatur, tum ut à Deo non recedat, facit: Omnia præterea deteriora relinquit, seq; integris & Deo tradit. Videtur autem mihi is Vir per hæc uerba, testibus in fine adductis, indicare, oēm humani animi perfectionē, conuersione aduersus Deum & cōuentione cū ipso con summari. Quod uerò in fine propositum est, Me autem Anytus & Melitus interimere possunt, lædere nō possunt, sumptum ex Platonica Socratis apologia de Anyto & Melito, qui Socratem reum fecerunt. Finem autem cum exordio coniungit, admonēs eorum, quæ initiò dicta sunt, eum uidelicet, qui bonum & malum in iis, quæ sunt in nobis, statuit, non in externis: nunquam ab aliquo cogi, nec lædi posse.

Peroratio.

Hæc habui, quæ iis, qui scripta Epicteti legunt, ad dictorum explicationem pro uiribus in medium afferre potui. Gratias autem ago caussæ, quæ ut his sermonibus uacarem, fecit, cum tempore tyrannicæ calamitatis obtigerit. Si autem precationem in fine præsentibus accommodatam adiecero, finem dicendi faciam.